


EPISTULA LEONINA

CCLXXXI

HEBDOMADALE
PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
QUOD ĒDITUR
E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
CUI NOMEN EST
LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM PRIMAM (281)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA	03-06
AVE ATQUE VALE	07
IN MEMORIAM NICOLAI SALLMANN INCLUTAM	08
LATINITAS REDIVIVA (<i>Anna Elissa Radke</i>)	09
SEPTIMANA AMOENEBURGENSIS (<i>Anna Elissa Radke</i>)	10
ENCOMIUM. De Latinis Septimanis Amoeneburgensibus quas Nicolaus Sallmann format fovetque (<i>Klaus Bottler</i>)	11-12
NORMAE ORTHOGRAPHICAE ET ORTHOTYPICAE LATINAE quae constitutae sunt praeside Nicolao Sallmann (ALF)	13-21
DE LATINITATE VIVA PHILOGOS DISSENTIRE	22-23
UCRAINAM NEQUE HABERE MILITES NEQUE PYROTHECAS	24-26
DISPUTATIO UCRAINIANA (<i>Licoppe, LL, Sartorius</i>)	27-30
PUELLAE. Fabula criminalis Ferdinandi de Schirach	31-35
FABULA NOVELLA (<i>Goethe, LL</i>)	36-51
ECHUS VOCES & EPISTULAE <i>Gaius Licoppe Nestor (52) - Alexius Vestigiarius (52-53) – Joannes Carolus Mediolanensis (53) - Urbanus Ferrarius Brasiliopolitanus (53-54) - Guglielmus Monetti (55) - Alexius Pulchrimontanus (55-56) - Maximilianus Pulcher Mystagogus (56-58) – Carolus Lyvens Lituanus Mamuciensis (58-59) - Ansgarius Osloensis (59)</i>	52-59
EPISTULA CHRISTIANI LAES	60-61
CERTAMEN QUIRINALE	62
MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS	63
ALEDARIUM QUID SIT (<i>Alexius Vestigiarius</i>)	64
LIBRI LEONIS LATINI	65-68

PRAEFATIUNCULA

LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS AMANTIBUS
SAL.PL.DIC.

Cara Lectrix, Care Lector,

quomodo te habes? Rectêne vales?

Denuo Leo tibi praebet Cornu Copiae et Saturam Lancem: Lectionem utinam ne asperneris: magna est varietas, quia delectat, habemus etiam aliquid aptum ad gustum tuum delicatissimum.

*Hac septimanâ tristem nuntium accepimus: NICOLAUS SALLMANN (1934-2023), sodalis Academiae Latinitati Fovendae et Societatis Latinae, olim auditor ANDREAE THERAGRI Mogontiacensis (1903-1986) de Latinitate vivâ multimodis meritis, undenonaginta annos natus animam efflavit. – Nonnulla tibi scripsi de eius vitâ operibusque; praeterea tibi affero tria carmina lepidê pacta, quae ei dedicata sunt, necnon **NORMAS ORTHOGRAPHICAS ET ORTHOTYPICAS**, quae **A.1988** Nicolao Sallmann praeside ab **Academiâ Internationali Latinitati Fovendae (ALF)** unanimiter comprobatae sunt. Hoc meritum Sallmannianum utinam quam maximê aestimetur! Nam philologia Latina eget talibus normis a singulis sermonibus patriis philologorum non dependentibus, ne fiant errores in textibus legendis et êdendis gravissimi.*

Obiit Nicolaus Sallmannus philologus defensor Latinitatis Vivae fortissimus; tales philologi sunt rarissimi, sunt, ut ait ERASMUS, CORVI ALBI, id est RARAE AVES IN TERRIS.

Similis corvus albus fuit GODO LIEBERG (1929-2016), Estonus Bochumensis: Legas commercium litterarum, quod habuit cum collegis Latino sermoni vivo parum faventibus.

De Ucrainiâ aliquid novi nuntiatum est in "Temporibus Epochalibus", quod excerptum Latinè reddidi; cui symbolae addidi duas epistulas lectorum, quae spectant ad eandem rem: affero enim epistulam GAIL LICOPPE Nestoris Academiae Latinitati Fovendae meritissimi, cui respondet NAEVIUS SARTORIUS iurisconsultus Epistularum Leoninarum lector atque auctor doctus et disertus. En lector habes de belli Ucrainiani causis thesin et antithesin; studeas, mi care, invenire synthesin! Sed quaecumque senseris, ne umquam obliviscaris proverbium Romanum: AUDIATUR ET ALTERA PARS!

Tertio loco huius opusculi Leonini sunt duae FABULAE, quae habent multum expectationis: una est scripta a FERDINANDO DE SCHIRACH, altera ab ipso IOHANNE VOLFGANGO DE GOETHE; cum unus auctor narret fabulam criminalem, in quâ agitur de viro diffamato ulciscendi cupidissimo, alter, qui est poeta theodiscae litteraturae facile princeps, nobis ante

oculos ponit turbam hominum, qui terrentur et incendio et leone et tigride circensibus ex caveis suis eruptis. Dicas: Mirum! Taliane inveniuntur apud Goetheum? Ita! Crede mihi: Utraque fabula habet exspectionem. Tolle, lege!


Denuo Leo te denuo monet **CERTAMINIS QUIRINALIS**. Utinam quam plurimi iuvenes ingeniosissimi et Latinissimi nomen dent participando! - Ceterum iuvat et delectat participare **MONSTRATIONES AUGUSTANAS**, quas hac aestate habet summâ peritiâ, Latinitate disertissimâ Mystagogus **MAXIMILIANUS PULCHER**.

Et praeconium **ALEDARII** mihi ab **ALEXIO VESTIGIARIO** perhumaniter est missum; utinam quam plurima Latina accipiamus ex Europâ orientali. Nam Latinitas huius regionis uberrima alibi parum nôta esse mihi videtur.

Ceterum intimo ex animo tibi suadeo, ut perlegas etiam **EPISTULAS ET ECHÛS VOCES** mihi a lectoribus benignè oblatas, qui cogitationes commotionesque suas animorum exprimant Latinitate iucundissimâ... Nunc laetare perlustrans symbolas huius Epistulae Leoninae. Si eos textûs quos Leo aut edidit aut ipse scripsit aut togâ ornavit haud aspernatus eris - »**sublimi feriam sidera vertice**«. - Cara Lectrix, care Lector, --- pancraticè valeas et pergas mihi favere. Medullitus te salutat...

Dr. Nicolaus Groß

Sodalis Academiae Latinitati Fovendae



<http://www.leolatinus.de/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae

Die Iovis, 27. m.Iul. a.MMXXIII




AVE ATQUE VALE !

CATULLI CARMEN 101

Multas per gentes et multa per aequora vectus
 advenio has miseras, frater, ad inferias,
 ut te postremo donarem munere mortis
 et mutam nequiquam alloquerer cinerem.
 quandoquidem fortuna mihi tete abstulit ipsum.
 heu miser indigne frater adempte mihi,
 nunc tamen interea haec, prisco quae more parentum
 tradita sunt tristi munere ad inferias,
 accipe fraterno multum manantia fletu,
 atque in perpetuum, frater, **ave atque vale.**

IN MEMORIAM NICOLAI SALLMANN INCLUTAM



PROF. DR. KLAUS SALLMANN
(1934-2023)

FELIX QUI POTUIT RERUM COGNOSCERE CAUSAS.

Nicolaus (Klaus Günther) Sallmann natus est a.1934 in *Thakhek* urbe Laoticâ. Pater eius fuit *Karl-Heinz Sallmann*, ingeniarius fodinarius, eius mater *Ruth*, e gente *Sallmann*. Abiturio a.1954 in *Aquisgranensi Gymnasio Carolino* humanistico superato in *Universitatibus Tubingensi, Basiliensi, Coloniensi* studuit philologiae Graecae et Latinae et geographiae cognoscendis. Primum examen publicum superavit a.1960. A.1962 in doctorum numerum promotus est sub aegide *Hellfriedi Dahlmann* dissertatione, c.t. *Die Natur bei Lukrez. Natura und der Naturbegriff* (Bonnae 1961). Ex a.1960 fuit adiutor *Seminarii Philologiae Classicae Universitatis Mogontiacensis*. A. 1968 habilitatus est opere, c.t. *Die Geographie des Älteren Plinius in ihrem Verhältnis zu Varro* (ed. Berolini a.1971). Ex a.1972 fuit Professor universitarius Mogontiacensis. Sodalis fuit Romanae Academiae Latinitati Fovendae (ALF), cuius vicepraeses fuit a.2004-2007. Sodalis Societatis Latinae Saravipontanae variarumque societatum scientificarum (v. <https://www.klassphil.uni-mainz.de/professores/sallmann/>). Index operum prolixus invenitur in: LOQUELA VIVIDA. Donum Natalicium Nicolao Sallmann Sexagesimum Quintum Annum Agenti a fautoribus linguae Latinae Vivae oblatum. Edidit Jürgen Blänsdorf, Würzburg 1999, p. 302-308.

Nos autem cultores et defensores Latinitatis Vivae piâ gratâque mente colamus memoriam **Nicolai Sallmann**, qui tantâ cum doctrinâ, tantâ cum navitate, tantâ cum humanitate prospexerit Latinitati resuscitandae. Sit ei terra levis.

QUOD SUMUS HOC ERITIS.
FUIMUS QUANDOQUE QUOD ESTIS.
Epitaphium Romanum

LATINITAS REDIVIVA

Campos Latinos ossibus aridis
vidi repletos, multa cadavera
disiecta, calvas insepultas,
non sine vulturibus cruentis.

Inspirat ossa mortua spiritus
sermone vivo, voce sonabili,
ut ossa et accedant ad ossa et
sanguine, carne, cute induantur.

Tu, Nicolae, noster Ezechiel
artem sepulcro grammaticam eripis
et osseam Latinitatem
ore tuo recreare gaudes.

**HOS VERSUS PEPIGIT
ANNA ELISSA RADKE**

DE SEPTIMANA AMOENEBURGENSEI

Parnassum ad illum nos docuit gradus,
ad montem amoenum, quem Bonifatius
sacravit olim, Nicolaus
commoderante sodalitate,

qui convocavit discipulos rudes
ex Europaeis gentibus omnibus,
humanitas ut augeatur
floreat veterum loquela,

ut et colatur totus homo simul
sive in culina sive et in hortulo
coquendo sive colloquendo
ventrem, animum recreavit ille.

Musae libenter intererunt novem
ducente Phoebus huic docili choro:
excursiones tramitesque
Mercurius tueatur ales!

**HOS VERSUS PEPIGIT
ANNA ELISSA RADKE**

DE SEPTIMANIS LATINIS AMOENEBURGENSIBUS QUAS NICOLAUS SALLMANN FORMAT FOVETQUE

ENCOMIUM

Mons peramoenus in Hassiaca regione tumescit
 Undique conspicuus prisco oppidulo coopertus,
 Hic Bonifatius abbatiam extruxit monachorum.
 Nunc ecclesia, gymnasium est in vertice summo;
 Iuxta sunt prisci castelli rudera magni,
 Sedis praefecti quondam Mogontiacensis.
 „Estne Latina voce colenda dignior aedes?
 Omnia testantur mentis culturam animique“
 Dixit et instituit rem Mechthild, vera magistra,
 Et physici mentem instinxit ardore Roberti.
 Constitueret anno, quo patria consociata est:
 „Romane coquere atque loqui permulta Latine
 Omnes per gentes septemque dies semel anno.“
 Magnae molis erat rem talem condere recte.
 Tertia turba aderat iam iam volventibus annis,
 Cum variis causis res non bene proveniebant
 Deficiunt studia atque in cenis mos epularis.
 Hoc discrimine fortuna illum Burgum ad Amoenum
 Nicolas ascendit, qui viva in voce Latina
 Vir vafer et vere victor populi invidiosi,
 Vir sollers, sapiens, comis, Mogontiacensis,
 Qui virtute animoque inceptam rem bene gessit:
 Auxilio supra dictorum etiamque aliorum
 Disposuit tabulam studium requiemque regendi;
 „Ars Piperisve Salisve“ docet Sallmanno auctore
 Discipulos ac discipulas sermone Latino

Colloquier, cantare, in scaenis ludere ludos.
Nam symphoniaci cantus et scaenica Musa
Sallmanno cordi est; violina cantat et ipse:
Cumque Latinorum est festum finale dierum,
Terpsichoreque Epulona Thaliaque vespere certant
De delectandis populi auribus ore oculisque.
Cetera mittantur, cum non sint parvula facta,
Quae bene praeside Thoma a Sallmanno peraguntur:
Invitandi participes et mansio danda,
Cenae curandae nec non sumptus rationes.
Sallmannum laudent potius nunc res bene gestae,
Ad quas instinxit moderator participantes.

**HOS VERSUS PEPIGIT
KLAUS BOTTLER
DARMSTADIENSIS**

NORMAE ORTHOGRAPHICAE ET ORTHOTYPICAE LATINAE

Praemonenda

Mirum est quod lingua Latina adhuc ratione scribendi et imprimendi certa et ubique probata caruit. Nam textus Latini plerumque ad consuetudinem patriae editorum linguae typis mandabantur. Discrimina inde orta videlicet oculos hominum Latinitatis peritorum aut omnino non aut vix offendebant, certe non perturbabant. Sed lectores doctrinae minus imbuti, studentes quidem et discipuli, non sine suspitione animadvertere poterant eandem urbem et *Lanuvium* et *Lanuuium*, vel et *Veios* et *Vejos* scribi. Confusio animi augebatur vario signorum usu et litteris capitalibus promiscue adhibitis: fueruntne *Christiani Latini* an *latini christiani*?

Certe constat Romanos antiquos ipsos neque minusculas litteras cognovisse neque interpunctionem constantem, ne orthographiam quidem indubitatum. At non est cur lingua Latina non eodem iure ac ceterae linguae suam sibi propriam orthographiam vindicet. Commercium quidem editionum et librorum Latinorum, ut taceam de locis minoribus Latinis huc illuc insertis, inter gentes et nationes admodum crevit his temporibus et in posterum magis crescet.

Systemata textuum scribendorum electronica flagitant, ut ita dicam, normas legitimas rationis scribendi: systema emendatorium electronicum Latinum iam diu desideratum nunc demum poterit constitui. Typothetae, stenotypistriae, programmatores et programmatrices, quibus textus Latini plus minusve frequenter occurrunt, iure petunt leges scribendi et imprimendi communes et apud omnes populos ratas. Hoc libello talium legum corpus proponitur ab ACADEMIA INTERNATIONALI LATINITATI FOVENDAE anno 1988 unanimiter comprobatum: quae leges commendantur editoribus, bibliopolis, libellorum scholasticorum auctoribus nec non iis qui ex officio curant ut textus Latini constituentur et imprimantur. Attamen noli exspectare rationem orthographiae Latinae prorsus novam et inauditam: en hic habes specimen regularum nunc confirmatarum neque quisquam erit qui nimia irritatione vexetur. Revera leges infra exhibitae usum suetum sequuntur, etsi interdum necesse fuerit ab usitata consuetudine quarundam gentium propria hic illic recedere. Ut exemplum afferamus: *u* et *v* litterae perspicuitatis causa distinguuntur,

quamvis in Francogallia, nuperrime etiam in Britannia aliisque nationibus distinctio illa non iam retineatur. Virgularum usus, ut alio exemplo utar, qui ingens esse solet apud Germanos et Slavos, revocatur ad rationem magis rhetoricam, quae nihilominus grammaticam respicit. Ecce iam indicatae sunt res maioris momenti. Proinde scriptura Latina habebit propriam suam speciem ab aliis linguis diversam, sed ita ut a normis orthographicis hodiernarum linguarum non funditus abhorreat. Leges infra propositae primum spectant ad perspicuitatem sententiarum, deinde ad facilitatem legendi, ut enuntiata Latina quam commodissime enodari possint. Adminicula sic oblata cum non omnibus gentibus aequabiliter familiaria videantur, una cum lingua Latina discantur, haud secus atque in aliis linguis discendis fieri solet. Quatenus leges spectant ad orthographiam verborum, sumptae sunt ex grammaticorum Latinorum scriptis, firmatae sunt virorum doctissimorum studiis.

Afferro hos libros:

LEUMANN, Manu: Lateinische Laut- und Formenlehre.

Neuauflage 1977 der 1926, 1928 in 5. Auflage erschienenem »Laut- und Formenlehre«. München 1977.

NIEDERMANN, Max: Précis de phonétique historique du latin. 4me édition. Paris 1985.

PAVANETTO, Cletus: Elementa linguae et grammaticae Latinae. editio altera. Romae 1987.

JIMENEZ DELGADO, José: De orthographia Latina. Textos Palaestra. Barcelona: Lauria 5. 1958: IDEM. Helmantica 9, 1958, 223-292.

Difficillime invenitur ratio interpungendi, quippe cum in libris manu scriptis et in inscriptionibus inchoamenta tantum vaga talium signorum occurrant, nondum regulae perspicuae. Propterea natura vel ingenium sermonis Latini peculiare Latine loquentibus et legentibus plus minusve innotescens maioris momenti esse videbatur quam ratio absoluta et grammaticalis a Germanis e.g. adhibita. Concedendum quidem est linguas Romanicas et linguam Anglicam propiores esse linguae Latinae quam ceteras. Sed cave credas nos usum signorum Francogallicum vel Italicum admodum in Latinitatem transtulisse. Media via proponitur ita ut virgula parcius adhibeatur quam in omnibus fere linguis hodiernis.

Non opus est commemorare editores textuum antiquorum vel mediaevalium in textu constituendo auctoribus Latinis ipsis librisque manu

scriptis obligatos esse. Hac in re scilicet a legibus orthographicis communibus liberi sunt et esse debent. Tamen satis magna pars generalis ut ita dicam restabit in textibus, cuius forma non ad libitum et arbitrium erit scribenda. Quod attinet ad textus neolatinos, hoc corpus legum formam orthotypicam certam praebet simulque pollicetur libros hoc modo impressos inter varias nationes facilius accipi et legi posse. Quantum hae leges respicientur, tantum cognoscetur utrum lingua Latina emortua neque propriis qualitatibus digna habeatur an potius lingua semper inter eruditos homines viva et sua auctoritate fruens et una ex magno coetu linguarum.

Nicolaus SALLMANN

Prof.em. Moguntiacensis

**Consilio legum orthotypicarum praefectus
in Academia Latinitati Fovendae**

LEGES ORTHOTYPICAE

1. DE VERBIS

1.1 Rationes verba Latina scribendi eorumque formae satis clare in lexicis et grammaticis scientificis definiuntur.

Libri adhibendi:

THESAURVS LINGVAE LATINAE, ab anno 1900 editus auctoritate et consilio quinque academiarum, ab anno 1949 consilii internationalis iussu et auctoritate editus. Lipsiae (B.G. Teubner).

TOTIVS LATINITATIS LEXICON Aegidii Forcellini, emendatum a Iosepho Furlanetto, amplissime auctum et emendatum a Vincentio De Vit, Prati (Aldina) 1858 sqq., reiteratum Bononiae 1964 (VI volumina).

OXFORD LATIN DICTIONARY, Oxonii (Clarendon Press) 1968-1982.

Respiciendae sunt proprietates quorundam auctorum, imprimis eorum qui ante auctores classicos vel postea necnon aetate media, humanistica, posthumanistica scripserunt.

1.2 Formae Latinae nominum hodiernorum locorum geographicorum (urbium, vicorum, terrarum, regionum, fluminum, montium, lacuum, marium etc.) in lexicis onomasticis inveniuntur.

Libri adhibendi:

EGGER, Carolus: Lexicon nominum locorum, Libreria Vaticana 1977.

GRAESSE-BENEDICT-PLECHL: *Orbis Latinus*. III voll. Braunschweig 1972; editio manualis IV editionis 1971.

DESCHAMPS, P.C.E.: *Dictionnaire de géographie ancienne et moderne*, Paris 1870: reiteratum 1965.

NB! Ne fiant aenigmata e variis formis Latinis, si modo occurrant, eligantur eae quae habent aliquam similitudinem cum nominibus hodiernis, praesertim si textus spectet ad usum publicum (velut in documentis honorificis); attamen ratio temporum historica respicienda est.

1.3 Nomina hominum recentiorum aetatum, nisi forte iam habent speciem Latinam (ut *Erasmus*, *Mylius*, *Cossiga*), non immutantur; admittuntur quoque litterae a Latinitate alienae (ut *w* et *ö*, *ø*, *ç*, *ô*, *ñ* etc.). Si opus est scripturas peregrinas (velut Graecam vel Russicam vel Sericam) transformare, secundum praecepta illarum nationum procedatur.

Praenomina Europaeorum hominum plerumque facile ad formam Latinam rediguntur aut reducuntur; cum nomine gentili coniuncta praenomina indicant casum:

Ioannem Baptistam Pighi (non *Pigium*)

Villelmo Shakespeare (non *Shakespeareio* vel sim.)

Volfgangi Schadewaldt

Liber adhibendus:

EGGER, Carolus: *Lexicon nominum virorum et mulierum*. Libreria Vaticana. ed. altera Romae 1963.

1.4 Verba Latina in finibus versuum hoc modo separantur:

1.4.1 - Verba composita in commissuris singularum partium ratione etymologica disiunguntur: *abs-traho*, *prae-scribo*, *ex-itus*, *ad-eo*, *quot-annis*

NB! Verba originis obscurae vel nomina propria Graeca ad legem 1.4.2 disiungere licet. *A-ris-tar-chus* (*A-rist-ar-chus*), *Cy-clops* (*Cycl-ops*), *Chry-sip-pus* (*Chrys-ip-pus*), *sed certe ec-cle-sia*.

1.4.2 - Verba simplicia in syllabas disiunguntur hoc modo:

1.4.2.1 + si una est tantum consonans, ea ad syllabam sequentem pertinet: *tra-ho*, *scri-bo*, *Ma-ius*, *hu-ius*, *vo-lu-i*;

1.4.2.2 + si duae sunt consonantes, hae inter se disiunguntur:

vol-vi, *tem-pus*, *vin-dex*, *stag-num*, *pis-cis*, *ip-se*, *quaes-tor*, *for-tas-se*.

1.4.2.3 + iunctura muta cum liquida (vel *l* vel *r*) non disiungitur, cum utraque pertineat ad syllabam insequentem (nisi forte tales litterae dividendae sunt ex lege **1.4.1** de verbis compositis):

du-plum, pu-bli-cus, sa-crum, a-gro-rum: sed *ob-lino*;

1.4.2.4 + si tres aut quattuor sunt consonantes, post secundam disiunguntur, nisi obstant leges 1.4.1 aut 1.4.2.3:

unc-tus, sump-si, mulc-tra, cas-tra, trans-trum.

NB! *qu-* semper pro una consonante habetur: *ae-quus, a-li-quis*; *gu-* praecedente *n*, si sequitur vocalis, habetur una tantum consonans: *an-guis, lan-gui-dus*; *su-* ante vocalem eiusdem syllabae pro una consonante habetur: *per-sua-deo, sua-vis, Sue-bi*; sed *su-us, su-es*; *th, ph, ch, ps* litterae Graecae unam quaeque consonantem significant: *A-the-nae, A-chae-i, Del-phi, Ca-ly-pso*.

2. DE LITTERIS

2.1 Alphabetum Latinum exhibet has XXIII litteras:

ABC DEF GHI KLM NOP QRS TVX YZ

2.1.1 - *K* littera paene obsoleta non adhibetur nisi in quibusdam vocabulis singularibus: *Kalendae, K. (= Caeso)*.

2.1.2 - *J* littera non exstat ideoque in scriptis hodiernis non usurpatur.

2.1.3 - *I* littera in eadem syllaba non duplicatur:

reicio, obicit; sed *diiudico, in feriis*.

2.1.4 - *V* littera et vocalem et semivocalem significat si capitales litterae scribuntur:

DIVVUS AVGVSTVS, VVLTEIVS, LANVVIVM

2.1.5 In scriptura minuscula *v* et *u* specie dinoscuntur (quamquam eandem significant litteram) ne conflentur e.g. *conservi* et *conserui, volvi* et *volui* et sim.: *Lanuvium*.

2.1.6 - *S* littera post litteram *x* (in compositis *ex-*) aptius non eliditur propter rationem disiungendi magis habilem: *exsisto, exsto, exsuperare*, (at certe *Exuperantius*).

NB! De vocibus quibusdam specialibus ut *exul, exilium* (pro *exsul, exsilium*) vide lexica sub 1.1 nominara et lexica etymologica. In verbis disiunctis semper *S* scribendum est: *ex-spectare, ex-struere, ex-sugere*

2.1.7 - *S* littera finalis praefixorum ante *S* sequentem eliditur, etiam in disiunctione syllabarum: *transcendo* (*tran-scendo*), *transilio* (*tran-silio*)

2.2 Capitales litterae ponuntur:

2.2.1 - in nominibus propriis hominum, deorum, stellarum, locorum

geographicorum etc. et in eorum derivatis declinabilibus: *Epicurus, Epicurei, Aristotelici, Christiani, Graeci*; sed *graecissare* (inde *graecissatio*), *stoici, peripatetici, academici, neolatini*.

2.2.2 - in initiis capitum et singularum sententiarum.

NB! In carminibus secundum versus dispositis capitales in initiis uniuscuiusque versus conceduntur. In textibus antiquis solutae orationis initia sententiarum minusculis

scripta ut ratio extraordinaria admittuntur.

Post bipunctum (:) littera minuscula sequitur (nisi obstat lex 2.2.1 aut incipit caput novum):

Attendite: sapiens adest.

Oratio recta capitali littera incipit, minuscula post intermissionem pergit:

Tum Maternus sic exorsus est: »Audite, amici« inquit, »quid dicam.«

2.2.3 - in nominibus mensium et feriarum:

Ianuarius, October, Quinquatrus, Pascha, Natalis.

2.3 Litterae numerales sunt hae:

I (1), V (5), X (10), L (50), C (100), D (500), M (1000),

11

—

= milies, ergo:

= centies milies, ergo:

= decies centena milia = 1 + milio

2.3.1 - Signis numeralibus Arabicis uti non licet nisi in textibus non antiquis: in textibus neolatinis usus numerorum Arabicorum vel commendatur, si numeri maiores occurrunt.

2.3.2 - Numeri ordinales sicut cardinales ceterique nudis capitalibus vel capitalibus parvulis scribuntur:

V (v) quintus, quinti, quinto etc., non Vtus vel Vi, IC (vel potius XCIX) undecentesimus, -a, -um etc.;

M. Manlio III consule (tertium consule);

a.d. v Kal. Ian. (ante diem quintum Kalendas Ianuarias, i.e.

28.12.)

NB! Dies datus in textibus neolatinis, velut epistulis, aut antiquo (vide supra) aut novo more (*d. XXVIII m. Dec. = 28.12.*) exprimitur.

3. DE SIGNIS

3.1 Exstant, ut in plerisque linguis Europaeis, signa haec:

punctum (.)

virgula (,)

virgula punctata (;)

bipunctum (:)

signum exclamationis (!)

signum interrogationis (?)

signum citationis (»« vel „ “)

linea parenthetica (--)

uncini parenthetici (), [], < >

3.2 Quae signa haud secus atque in linguis hodiernis ponuntur; de virgula leges sequentes observandae sunt:

3.3 Virgula in textibus Latinis rarius adhibetur quam in plerisque hodiernis linguis. Significat minimam pausam rhetoricam ad modum structurae grammaticalis.

Ponitur

3.3.1 - in enumerationibus asyndeticis:

Ecce populi, gentes, nationes, vulgus omnis generis.

3.3.2 - in parataxibus adversativis et asyndeticis:

non solum, sed etiam; non ego, immo tu; Veni, vidi, vici. Sed: Fac venias!
(hypotaxis)

3.3.3 - ante et post appositiones:

Hannibal, dux Poenorum, demum devictus est.

3.3.4 - ante enuntiatum hypotacticum appositionis loco inserta et post idem enuntiatum:

Hannibal, qui erat dux Poenorum, demum devictus est.

Hannibal, cum esset dux Poenorum, demum devictus est.

NB! Attributa praepositionalia et participialia non sunt appositiones ideoque virgulis carent:

Hannibal post multas victorias demum devictus est.

Hannibal fortissime luctatus demum devictus est.

Hannibal victoriis celeberrimis partis demum devictus est.

3.3.5 - post periodos hypotacticas quae praecedunt primarias:

Qui adest, sumat.

Si pluit, madet terra.

Caesar postquam rem cognovit, aciem instituit.

NB! Periodi igitur hypotacticae postpositae virgulis carent (nisi forte obstant leges 3.3.4 vel 3.3.6); quod praecipue spectat ad periodos pro subiecto aut obiecto positas et ad eas quae pronomine demonstrativo antecedenti indicantur:

Semper fit quod deus vult.

Hoc unum in Alexandro vitupero quod iracundus fuit.

Bene accidit quod eum nusquam vidisti.

Fieri potest ut numquam redeat.

Quis est tam demens ut sua voluntate maereat?

Rogabat ut quam celerrime veniret.

Non is sum qui difficultatibus deterrear.

Iucunde vivi non potest nisi cum virtute vivitur.

3.3.6 - ante et post periodos hypotacticas insertas (nisi obstat lex 3.3.7):

Caesar, priusquam Orgetorix veniret, colles occupavit.

Pyrrhus captivos Romanis, si pacem secum facere vellent, nullo pretio redditurum se dixit.

3.3.7 - Propositiones relativae quae sunt pro substantivo vel participio (seu Latino seu Graeco seu peregrino) virgulis carent:

Quae e terra prodeunt (= τὰ φύτά) curamus.

Non omnia quae sunt (= τὰ ὄντα) cernuntur.

3.3.8 - Coniunctiones nullis verbis intermissis iuxtapositae perspicuitatis causa virgulis separentur:

Chrysippus eam causam necessariam concedit ut, si omnia fato fiant, omnia causis fiant antecedentibus

3.3.9 - Ceterum si verborum relationes et enuntiatorum rationes aliter non exprimuntur, virgula adiutoria uti licet:

De hac re nihil se scire confessus est, ratus neminem id scire. (Ne coniunxeris est ratus).

3.4 Oratio recta signis citationis incipit et desinit:

Tum Atticus: „Quod me movet“ inquit, „est res gravis“.

3.5 Lineae parentheticae aperiunt et claudunt enuntiata autonoma inserta:

Leges – quod di bene vortant – semper observentur.

Has paginas – nisi forte molestum est – diligenter perlege.

3.6 Uncinis parentheticis (primae, secundae, tertiae classis) includuntur additamenta et supplementa aut explicativa aut contraria sive intra structuram syntacticam sive extra; exempla vide sub 1.2 et 3.7 !

3.7 Signa vocalium vel syllabarum quantitates indicantia (velut eă, eā) necnon signa ictus metrici (velut árma virúmque canó) in textibus didacticis admittuntur, quamquam non pertinent ad orthographiam legitimam.

3.8 In editionibus diaeresi vel tremate (") uti licet: *aere – aëre, Callimachi aetia – Aëtius Amidensis*

*

**CORPUS LEGUM
ORTHOGRAPHICARUM ET
ORTHOTYPICARUM
SUPRA ALLATUM
AB
ACADEMIA LATINITATI FOVENDAE
A.1988 UNANIMITER COMPROBATUM
PROPOSUIT
NICOLAUS SALLMANN
CONSILIO LEGUM ORTHOTYPICARUM
PRAEFECTUS
PROFESSOR PALAEOPHILOLOGUS
MOGUNTIACENSIS
R.I.P.**

DE LATINITATE VIVA

PHILOLOGOS DISSENTIRE

SED UT PLERUMQUE FIT, MAIOR PARS MELIOREM VICIT.

<file:///C:/Users/User/Downloads/37658-Artikeltext-118731-1-10-20170427.pdf>

Empfehlung, die lateinische Sprache im Lateinstudium aktiv zu verwenden

Godo Lieberg Echardo Lefevre, praesidi Societatis a Mommsen appellatae, S. P. D.

In conventu Gottingae habito collegam Wachter de vi scientiae linguarum dicentem audienti in mentem mihi venit de pondere, quod Latinitas viva habet, disserere, sed tum tempus verba apte parandi deerat. Quam ob rem a te peto, ut pro humanitate tua haec verba, nunc infra scripta, Nuntiis Societatis nostrae publici iuris facias. Si mihi id petenti satisfeceris, gratissimum feceris. Alios cultores vivae Latinitatis de his litteris certiores faciam. Cura, ut valeas. D. ex urbe Bochumensi a. d. XIV Kal. Dec. MMI. „Non solum corpus mortuum incidendum, sed etiam vivum colendum“ (sententia sapientis) Instituta Philologiae Classicae monentur, ut ordine studiorum discipulis unum Colloquium Latinum frequentandum praescribant. Professores, illis, qui humanistae dicuntur, digni, commentationes etiam Latinas, ita omnibus viris doctis toto orbe terrarum faciles intellectu, componant et in lectionibus Latine quoque loquantur, exempli gratia lectionem praecedentem breviter Latine comprehendentes. Si haec facta erunt, discipuli nostri, cum postea magistri in gymnasiis linguam latinam docebunt et scriptores latinos explicabunt, occasione oblata ipsi Latine loqui volent ac valebunt. Tum discipuli quoque eorum linguam Latinam non iam mortuam existimabunt et eam multo libentius ac facilius, quam nunc fit, discent. Subscribe, quaeso, si tibi videbitur, has litteras, alia fortasse argumenta adiungens, et mitte eas ad praesidem Lefevre. **Gratias tibi ago quam maximas. S. P. D. Godo Lieberg**

<file:///C:/Users/User/Downloads/37717-Artikeltext-118967-1-10-20170428.pdf>

Zur Empfehlung Lieberg (FC 4/2001,262) Das Seminar für Klassische Philologie der Ruhr-Universität Bochum bittet um die Veröffentlichung der folgenden Mitteilung in der nächsten Ausgabe des Forum Classicum: Die im Brief des ehemaligen Bochumer Professors und jetzigen Emeritus der Universität Siena/Arezzo Godo Lieberg an den Vorsitzenden der Mommsen-Gesellschaft, Herrn Kollegen Eckard Lefevre, geäußerten Überlegungen spiegeln nicht die Meinung der Dozenten des Seminars für Klassische Philologie der RuhrUniversität Bochum wider. Herrn Liebergs Forderung verkennt sowohl die realen Probleme der Mehrzahl der Studierenden als auch die kapazitären Engpässe der Seminare als auch die Position des Faches Latein im Rahmen einer heutigen literaturwissenschaftlichen Fakultät oder der affinen Fächer des gymnasialen Spektrums. Unter solchen Umständen eine Pflichtveranstaltung Colloquium Latinum anzuregen, erscheint uns abwegig.

**Prof. Dr. Gerhard Binder,
 Prof. Dr. Bernhard Effe,
 Prof. Dr. Reinhold F. Gleis,
 HD Dr. Thomas Paulsen**

file:///C:/Users/User/Downloads/37682-Artikeltext-118829-1-10-20170427-3.pdf

Epistula aperta, quae dicitur

Godo Lieberg professori Bernardo Effe eiusque collegis Bochumensibus S. D.

Valde miror, quod scripto meo Latino, *Foro Classico* (4/2001, 262) divulgato, eisdem commentariis (1/2002,58) Theodisce respondistis! Ita vobis, quamquam Latinistae estis et litteras Latinas docetis, molestum esse pauca tantum enuntiata Latina componere ostendistis. Initio opinionem vestram cogitationibus meis non referri declaratis. Sed quis id ita non esse putaret? Numquam enim et nusquam, quoad sciam, significavistis vestra interesse Latine scribere vel loqui. Inutile igitur erat vos a me dissentire in medium proferre. Quod ad rem attinet, vaga argumentatio vestra ad persuadendum minime est apta. Colloquia enim Latina nulla alia lingua quasi impedimento interposita ad linguam Latinam non solum perdiscendam, sed tironibus apte instituta etiam discendam magnam vim habent. Propterea exercitationes, quibus enuntiata Theodisca in sermonem Latinum vertuntur, colloquiis Latinis supplendae sunt. Id nondum intellexisse videmini. Tamen, quod in linguis recentioribus docendis iam diu fit, etiam ad linguam Latinam valere manifestum est. Huiusmodi colloquiis etiam sensus linguae Latinae haud paulum acuitur ita, ut opera litterarum Latinarum subtilius percipi ac clarius explicari possint. Colloquia igitur Latina nullo modo ab hodierna litterarum scientia, apud quam tantum pondus habent forma linguae et facultas dicendi, abhorrere facile est intellectu. Postremo collegis suadeo, ut, nisi parati sint ad haec colloquia habenda, in eam rem se exercent. Etiam adiutores eorum ingenio praediti atque animo prompto et alacri id facere possunt. Ita angustiae docentium amovebuntur. Valete.

D. ex urbe Bochumensi pridie Kal. Ian. MMIII.

**HAEC HACTENUS SCRIPSIT
 GODO LIEBERG (1929-2016)
 PHILOGUS CLASSICUS EX ESTONIA ORIUNDUS
 PROPUGNATOR LATINITATIS VIVAE
 BOCHUMIENSIS**

<https://www.epochtimes.de/politik/ausland/ehemaliger-un-waffeninspektor-die-ukraine-hat-keine-soldaten-und-keine-munition-mehr-a4351767.html?>



Miles Ucrainius d.20. m.Iul. a.2023 granatum 152-mm transportat ad tormentarios (i.e. *artilleristas), qui sunt prope oppidum *Bachmutum* (*Halopolin*) in Ucrainiâ orientali situm.

Bellum Ucrainiae et Russiae

SCOTT RITTER INSPECTOR QUONDAM ARMORUM: „Ucrainia neque habet milites neque pyrothecas“

scripsit [Iris Lindenmaier](#), d.25. m.Iul. a.2023

Secundum Scott Ritter militem quondam US-Americanum marinum Russia ex mense Octobri habet exercitum armis et instrumentis modernissimis instructum. E contrario exercitum Ucrainianum mox esse collapsurum.

„Ucrainii magnam habent difficultatem: Qui ferê nullos iam habent milites. Iidem in initio habuerunt exercitum circiter 1,2 miliones militum. Qui sunt omnes mortui.“ Sic Scott Ritter, qui fuit quondam miles Americanorum marinus et apud Nationes Unidas inspector armorum, describit condicionem copiarum ucrainianarum bellum gerentium. Secundum Ritter Ucraina nullo iam modo vincere potest, sicut nuper dixit in colloquio a Clayton Morris, moderatore quondam ipsius „Fox News“, interrogatus in histologio „Redacted“ declaravit.

Ante 6 septimanas exercitus ucrainianus incohavit impetum suum contra-offensivum. Selenskius praeses Ucrainiae in cottidiano nuntio suo scopocinematico spectatores certiores fecit esse quasdam regiones, in quibus progressus fieret. Aliis autem in regionibus militibus Ucrainiis esse defendendum, non offendendum.

Praefecti Ucrainiani nuper compluries concesserant impetum offensivum optato lentius procedere. Causae afferuntur lineae defensoriae Russorum minis displosivis et obstaculis antiharmaticis munitissimae.

Praeses etiam commemoravit impetûs Russorum ruchetarios atque teleplanicos, e.g. ad Pontum Euxinum. Homines et urbes et portûs esse melius tutandos. Selenskius: „Fortiter“ inquit, „respondebimus impetibus Russorum tromocraticis“. Russi ex pluribus diebus iterum iterumque aggrediuntur praecipuê portum Odessae – ubi destruunt horrea frumenti et monumenta partis urbis vetustioris, quae addicta sunt heredio *Unesconis* mundano.

200.000 milites Russi armis modernissimis instructa

Sicut *Scott Ritter* in colloquio histologii „[Redacted](#)“ verbis effert, Ucrainios vires deficiunt. Ritter: „Numerus victimarum“ inquit, „est terribilis. Istae nationes, quae Ucrainiam adiuvant, sunt morti centum milium virorum responsables“. Nullum est scaenarium, in quo Ucraina vincit. Quae non iam habet copias eruditas.“

Secundum Ritter Ucraina adhibuerat 60.000 militum ad impetum contra-offensivum faciendum, sed interea 20.000 ex iis sunt interfecta. Scott: „Etiam cetera 40.000 morientur. Russi secum ducunt 200.000 militum“. Rumores ferre in regione Cherson statuta esse alia 100.000 militum Russorum. Ritter interrogatus, qua de causa ibi tot milites exspectarent respondit uno tantum verbo: „Odessa.“

Neminem loqui de novo exercitu 200.000 militum a Russiâ ex mense Octobri erudito. Qui a Rittero dicitur armis modernissimis instructus. Hi milites hoc tempore nihil facere nisi exspectare, dum vehementia impetuum ucrainianorum deminuatur. Deinde eosdem incohare impetum contrarium universum. 100.000 harum copiarum statutas esse in Charkiw, ut Ucrainios reprimant.

Impetus contra-offensivus Ucrainorum eo fine fit, ut pars regionis a Moscuensibus occupatae recuperent. Ad quem finem assequendum occidentales iisdem offerunt decurias harmatum et aliquot milia militum ucrainianorum erudiverunt ad expeditionem faciendam.

At rapidê perdita sunt complura harmata. Multa eorum minis displosivis aut ruchetis ab helicopteris pugnatoriis sunt destructa. Ex illo tempore Ucrainiae non contigit, ut faceret perfractionem decisivam, quamquam complures expugnavit vicos.

Centurio Ucrainianus: „Victoria est optio unica“

In symbola ipsius „[Wall Street Journal](#)“ quidam Ucrainius praefectus generalis nomine *Anatoliy Kharchenko* describit, quomodo ipse eiusque milites methodice exercent pedibus progredi, cum multa vehicula sui in campis minarum haereant.

Ab uno ordine arborum sibi movendum esse ad proximum, ut terram suam recuperent unum campum post alium.

Centurioni persuasum est hoc quod dicit: „Nobis nihil restat, quod perdamus nisi vita. Victoria non solum nobis multum valet, sed est unica optio, alioquin nos omnes moriemur“. Duces Chiovenses politici et militares queruntur se apportatione armorum occidentalium lenta et insufficienti cogi, ut impetum faciant in lineas russicas sine apta defensione aera, quo milites et vehicula maneant vulnerabilia.

Secundum „Wall Street Journal“ pleraeque copiae Ucrainii ab occidentalibus eruditae et instructae nondum pugnantes exspectant usum sui. Si quam offensionem facerent, officarii conarentur arma occidentis pretiosa – ab harmatibus usque ad manuballistas umerales ruchetis instructas – conservare et tamen progredi.

Ucrainiam in mense consumere tantam copiam pyrothecarum, quantam USA per totum annum.

Porro Ritter in illo colloquio ipsius „*Redacted*“ clarê patefacit et Pentagonianos et ipsum Praesidem reticere, quod ab Ucrainiis bellum non finiri possit victoriosê. Copiam pyrothecarum non sufficere, quamquam USA iam omnia bereits alles an die Ukrainer geliefert hätten.

Secundum Ritterum inspectorem quondam armorum Ucraina cottidi iaculatur 5.000 - 7.000 tela artilleries. „Civitates Unitae fabricant 85.000 quotannis“.

Ritter, qui olim munere functus est commissionis specialis Iraciensis, dicit inde consequi Ucrainiam per spatium mense minus Ucrainiam consumere copiam totius anni, quae innotuit a Commissione Extraordinaria.

Russiam cottidie iaculari 60.000 telorum artilleries. Ritter: „Nos“ inquit „non sumus parati ad hunc conflictum“. „Russi fabricant 3,4 miliones in anno et inde etiam augebunt productionem suam“. Praeterea quotannis 2 miliones in anno teleplanorum Lancetianorum fabricabuntur. „Haec teleplana sunt vilia, versatilia, magnum damnum efficiunt.“

Ritter praedicat Charkowiam et Odessam aestate aut autumno a Russis expugnatum iri. Etiam putat exercitum ucrainianum prorsus collapsurum esse.

**SYMBOLAM
EX „TEMPORIBUS EPOCHALIBUS“ EXCERPTUM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

DISPUTATIO UCRAINIANA

GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.21. m.Iul. h.13.49

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Perfeci promissam symbolam eamque tibi subiungo. Rogo ut eam bono loco ponas. Oportet enim Epistulae Leoninae lectoribus praeter fallaces nuntios restituta veritas praebeatur.

Epistolam Leoninam 279 post aliquam moram legi atque in nonnullas res incidi, quae mihi displicuerunt. Prima est photographema certe artificiose compositum, ut nunc facile fit, in quo una apparent facies duorum notissimorum virorum, Elon Musk et Donald Trump cum subscriptis verbis "VOX POPULI VOX DEI".

Primus certe est ingeniosissimus machinator et negotiator, sed praeterea incultus, ut infeliciter sunt permulti Americani. Ille vir locupletissimus factus putat se paene omnipotentem quoque factum esse et inscite de omnibus rebus definitivam sententiam profert; vultum subridentem et tranquillum praebet viri sibi omnino confidentis.

Alter faciem habet, qua patent eius superbia et iactantia. USA praeses fuit (2017-21) post electionem qua eius rivalis Hillary Clinton 48% suffragiorum obtinuit et Trump tantum fere 46%, sed in USA electio popularis non valet nisi a "magnis electoribus" comprobata; maior pars eorum elegit Trump. Iste vir, locupletissimus plerumque fraudulenter factus, non solum incultus est, sed insuper nullam experientiam rerum politicarum tam internarum quam externarum habet. Eius competitio electoralis fuit mirum exemplum "populismi" et pleraque suffragia obtinuit ab Americanorum parte minus culta, cuius vox non est vera VOX POPULI.

Deinde in symbola, c.t. "QUANTUM VALEANT BIDENIANI AD BELLUM UCRAINIENSE" iam prima linea "NATOniani armis afferendis bellum prolongant" pertinet ad Putini propagandam.

Consideremus tantum data et facta. Per viginti circiter annos Russia fuit pacifica et nonnullos populos a suo iugo liberavit; anno 1991 Parlamentum Ucrainense fere unanimiter proclamavit Ucrainam sui iuris factam esse; hoc confirmatum est suffragiis populi (93,32%). Paulo post Ucraina ab omnibus civitatibus Nationum Unitarum, etiam a Russia, agnita est ut civitas sui iuris.

Putini primum munus tempore URSS fuit occultum KGB agentem externum esse et quinque annos Dresdae in Germaniae RDA operam occulte dedit. In Russiam redux cum Gorbatchev regimen mutare coepit, Putinus occultus KGB particeps mansit, in cuius schola speciali (Institutum Vexilli Rubri) didicerat se gerere ut camaeleonem, i.e. eandem opinionem profiteri ac suum patronum.

Praesidis Gorbatchev successor, Boris Eltsin, primus in Russia sincere favit democratiae instaurandae, sed a tot obstantibus impeditus est, ut bonam oeconomiam liberalem instituere non valuerit. Vladimirus Putin in aulam Kremlini se insinuerat et

Eltsin eum elegit ut primum ministrum, quia famam boni administratoris habebat et videbatur democratiae quoque favere.

Eltsin statuit suum Foederationis Russiae praesidis munus exeunte anno 1999 deponere et secundum Constitutionem primarius minister praesidi succedit usque ad proxima comitia.

Eltsin sollemnem publicamque praesidentiae transmissionem paravit in Kremlinum habendam. Ibi primus verba fecit laudans regimen democraticum, quo Russia tunc fruebatur. Putinus praeses factus iam non debebat se gerere ut camaeleonem et se revelavit, qualis semper fuit, virum Unionem Sovieticam desiderantem; sine mora operam dare coepit ad regimen tyrannicum restituendum, servato democratiae simulacro.

Omitto primos gradus, quibus vi sed caute in dicionem suam redegit Tsetsenos, Georgiam et Crimeam (Chersonesum Tauricam), quae liberae Ucrainae provincia erat.

UE et USA statim dicunt Putini Russiam ius internationale violavisse, cum liberam civitatem aggressus esset. Crimaeae adnexionem legibus internationalibus vetari, id quod in Nationum Unitarum coetu generali fere omnes civitates comprobaverunt. Praeter verba tamen nihil factum est.

Nemine obstante, duobus mensibus post Crimeam captam, Putinus pergit et duabus orientalibus Ucrainae provinciis, Donetsk et Lougansk, potitur suos milites dissimulans et autumans Russophonos incolas rebellionem fecisse.

USA praeses Barack Obama (2009-2017), qui nullum militem Americanum ad aliquam pugnam misit, dicit se nullum militem illuc missurum esse. Europae ergo regentes soli manent adversus Putinum. Omnimodo pacem servare volunt et se ignaviter gerunt, ut anno 1938 Monachi praesides Anglus et Francogallus coram Hitlero; anno enim 2015 Minisci (*Minsk*) in Bielorussia, Russiae vassala, Angela Merkel, Germaniae cancellaria, Franciscus Hollande, Francogalliae praeses et Alexander Porochenko, Ucrainae praeses, coram Putino et legatis provinciarum Donetsk et Lougans, quae modo Respublicas sui iuris se proclamaverunt, pactum faciunt (*Minsk II*), quo omnia Putino conceduntur contra finem belli et militum receptum. De Crimea iam non agitur.

Ridet Putinus atque, ut faciebat Hitler, pactum non respicit et novum gradum parat.

Praesidi Barack Obama succedit Donaldus Trump (2017-2021). Iste res Europaeas flocci facit (*America first*). Feliciter iterum non eligitur.

Ei succedit Iosephus Biden, qui iam vicepraeses Obamae fuit et peritissimus est rerum extraneorum; Putinum habet ut virum temerarium et periculosum.

In Ucraina anno 2019 praeses eligitur (73,2 % electorum) Volodymyr Zelensky, qui statuit Putino firmiter resistere.

Putinus nuntiat se bellum Ucrainae illaturum esse, quae Occidentalibus propior propiorque fit.

Statim Occidentales, praesertim Europaei, conantur Putino suadere ne bellum contra Ucrainam gerat. Francogallus praeses Macron ultimus est, qui Putinum in Kremlinum convenerit; ridicule recipitur a Putino inconcusso et subridenti, qui putat se facile

victorem fore. Putini mercenarii bellum incohant die 24 mensis Februarii 2022 et crudeliter se gerunt, sed Ucraini eos a Kiovia repellere valent. Putini victoria post sesquiannum adhuc exspectatur...

Anno 1949 USA, Canada et multae civitates Europaeae foedus NATO (OTAN) panxerant ut se una defenderent ab Stalini URSS, qui "bellum frigidum" incohaverat. Nolumus oblivisci Stalinum, cladis Hitlerianae Germaniae participem, victoria usum esse ad multas civitates vicinas in dicionem suam redigendas, eis regimen communisticum sibi devotum imponendo.

Foedus NATO (OTAN) neglexit Trump, sed statim refocillavit Biden. Regentes Unionis Europaeae, tandem expergefacti, Putinum periculosum esse non solum erga Ucrainam intellexerunt, sed quoque erga alias vicinas civitates; earum complures iam erant NATO (OTAN) participes, sed eae, quae nondum erant, Finnia et Suetia, volunt quoque participare.

Ea, quae supra in memoriam revocavi, nemo infitias ire potest. Satis superque demonstrant Putinum Russiam iterum fecisse bellicosam, quare tempori continendus est, ne nocere pergat.

Ultima symbola quae mihi displicuit ridiculum titulum habet: NUM IOSEPHULUS SOMNICULOSUS EST MONARCHISTA? Satis supra dixi Putinum somniatorem esse, sed Iosephum Biden peritum et vigilantem.

Cura ut valeas.

Nicolaus Gaius suo optimo sal.pl.dic.

Summas gratias pro epistulâ tuâ prolixâ, quam loco digno ponam proximae Epistulae Leoninae. Eandem misi *Naevio Sartorio* iurisconsulto mihi familiari Latinê etiam scribenti, qui de argumentis tuis dicit haec quae sequuntur; infra legas, quaeso, ea quae Naevius mihi scripsit. si volueris respondere, valdê gaudebo et libentissimê commercium vestrum litterarum divulgabo.

... Saluta a me Franciscam et Corinnam. Utinam in istius aetatis tribulationibus studia classica et humanistica nobis solacio sunt! Vale semper pancraticê, mi Gai optime, et perge mihi favere. Medullitus te salutatur Nicolaus Leo Latinus.

Naevius Nicolao s.

Care Nicolae, opinor Gaium narrare versionem occidentalem, ne dicam Americanam, historiae infelicis istius belli. Apparet eum putare omnia critica verba ab illo *Mearsheimer*, illo *Baud*, illo *Koepfel* et multis aliis - facta solum "*pertinere ad Putini propagandam*" (i.e. esse propagandam Putini). Eo modo pingit imaginem simplicem, cui sunt solum duo colores: ater et albus.

Statuit Putinum Crimaeam "*adiunxisse*", sed nihil de *referendo* dicit. Ni fallor, saltem possibile est, id quod "*adnexio*" dicitur, habere "*secessionem*". Secessio vero legalis est: <https://www.faz.net/aktuell/feuilleton/debatten/die-krim-und-das-voelkerrecht-kuehle-ironie-der-geschichte-12884464.html>

Ceterum, cur Gaius putat Iosephum Bidenium "*peritissimum esse rerum extraneorum*"? Sententiam illam suam Gaius nobis explicet! Certe Bidenius est

peritissimum negotiorum lucri maximi causâ faciendorum. Praeterea Gaius nihil dixit de negotiis catervae Bidenii in Ucrainâ, nihil dixit de isto filio inurbano *Hunter "Venator" Biden*, nihil dixit de momento Americano spectante ad "*Maidan*" et illam eversionem qua *Viktor Janukowitsch* russophilus ex munere suo expulsus est; etiam nihil dixit de ista *Victoria "Laecasin dico isti EU!" Nuland*.

Quamobrem versio et vituperatio Gaii mihi nimis unilaterales esse videntur. Veritatem summam certe non habeo, sed certe licet dubitare de versione Gaii.

Cura ut valeas

VN

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Cum Naevius Sartorius, iurisconsultus familiaris tuus, humaniter rescripserit, ipse vehementer non respondebo.

In initio symbolae scripsi me tantum data et facta allaturum esse neque ullum posse ea negare, cum legi possint in libris historicis mundi liberi et recentius in crasso libro Anglae (non Americanae) scriptricis Carolinae Belton c.t. *Putin's people* (2020) et in alio libro, c.t. *Le Mage du Kremlin*, auctore Giuliano da Empoli (2022).

Insuper mihi pernota est historia Russiae, quam in longa symbolarum serie in Melissa breviter contraxi et divulgavi.

Infeliciter, cum in mundo libero liceat omnia divulgare (idem non est in Russia, neque antea in URSS), nunc Putinus hac licentia utitur ad suam propagandam contra Americanos divulgandam; expertus enim scit illos solos ei obstare velle et posse. Dicendum quoque est propagandae editionem corruptione saepe adiuvari; publice patet Putinum maximam pecuniam clanculum in orbe libero distribuere per suos occultos agentes (ipse Putinus, cum iunior esset, unus ex eis fuit in Germania RDA) ad quam plurimos homines corrumpendos.

Iosephus Biden iam fuit iuvenis senator in USA. Vicepraeses Obamae octo annos (2009-2017) fuit; longam ergo experientiam politicam habet et nihil ei alienum est de rebus tam internis quam externis. Praetermitto minutias, quas citat Naevius Sartorius; plura enim de Putino citare possim, sed res maioris momenti sunt potius considerandae. Raptim ante discessum in Provinciam.

Cura ut valeas.

EXPLICIT COMMERCIIUM EPISTULARUM GAII LICOPPE ET NAEVII SARTORII DE CAUSIS BELLII UCRAINIANI FACTUM

PUELLAE

Fabula criminalis, quam scripsit *Ferdinand von Schirach*,
Latinê reddidit *Leo Latinus*



Ferdinand von Schirach (a.2009)

Defensor poenalis et auctor fabularum criminalium

cfr De auctore: Epistula Leonina 53, p.7-17; oratio auctoris: 54, p.4-10; Praefatio/ De Faehnero: 55, p.4-15;
Festum populare: 78, p.18-27; Felicitas: 81,12-24; DNA: 90,11-15; Vir alter: 158,8-20; Lydia: 159,20-18;
Violoncellum: 223,11-26.

Antequam *Hubertus* abductus est, eidem omnia bene successerant. Qui *Mariam* cognoverat in cenâ apud amicos factâ. Quae mulier gesserat vestem nigram et anaboladium sericeum, cui impictae erant aves paradisi versicolores. Maria fuit magistra scholae elementariae, Hubertus repraesentator supellectilium graphealium. Mutuo in amorem inciderant, et hîc tempore transacto adhuc bene concordati erant. In familiae festis omnis dicebat illos esse par amantium bellulum, et plerique hoc dicebant serio.

Anno post nuptias in aliquo ex Berolini suburbiis melioribus emerant domûs duplicis partem dimidiam, et quinque annis post debita iam solverant ferê tota. Director sedis argentariae filialis dixerat eosdem solvisse »praematurê«. Qui surgebat quandocumque *Mariam* aut eius maritum videbat ad ostiolum stantem. Quod Huberto placebat. Qui cogitabat nullam esse difficultatem.

Hubertus voluit liberos. Maria autem dixerat: »Proximo anno. Adhuc aliquantulum vitâ fruamur«. Mulier habuit annos undetriginta, vir novem annis erat natu maior. Voluerunt hieme iter facere in Insulas Maledivas, et quandocumque de hîc itinere loquebantur, Maria maritum aspectans subridebat.

Emptores magni aestimabant Huberti animum sincerum, mantisis additis accipiebat quotannis nonaginta milia euronum. Colloquiis mercatoriis finitis autocineto domum revertens audiebat modos musicos iassiacos, et nihil iam ei restabat desiderandum.

...

Illi venerunt horâ septimâ matutinâ. Illo die Hubertus debuit Hannoveram iter facere, novum quendam hominem empturientem visitare, novam negotiationem totam suppellectilibus instruere, mandatum lucrosum suscipere exsequendum. At illi eum manicis ferreis vinctum ex domo abduxerunt. Maria oculis torpidis aspectavit mandatum comprehensorium, adhuc gestans vestem suam dormitoriam, quam maritus tantopere diligebat. Mulier autem lêgit verba »*Abusus puellae parvulae in 24 casibus factus*«; noverat nomen puellae classis suae scholae elementariae. Maria stabat iuxta officialem in culinâ, cum duo viri vestibus uniformibus induti Hubertum per semitam deduxerunt ad autocinetum biocolyticum. Buxorum saepimentum plantaverant anno praeterito; iacula, quam Maria marito in Natale Domini donaverat, aliquatenus obliquê pendeat de umeris eius. Biocolyta dixit plerasque uxores de tali re nil suspicari. Quod dixit ut consolaretur. Deinde perquisiverunt domum.

...

Causa iudicialis non diu duravit. Hubertus omnia negavit. Iudex autem obiecit in eius computatro inventa esse cinemata pornographica. Parvulas quidem in iisdem non spectari posse, cinemata esse legalia, sed feminas ibidem visibiles admodum juveniles esse, unam vix habere mammas. Iudex fuit 63 annos natus. Qui credit puellae. Eadem dixit se domum euntem semper ab Huberto interceptam esse. Ab isto viro se »infra« tactam esse, quod dixit lacrimans. Quod factum esse in istius xysto domestico. Altera puella omnia confirmavit, se ista bis vidisse ipsam. Puellae domum descripserunt parvumque hortum.

Maria non vênit ad conventum iudicii principalem. Eius patronus documenta divortii misit in carcerem disquisitionis. Hubertus omnibus subscripsit non lêctis.

Îdem damnatus est ad custodiam trium annorum. In iudicii confirmatione scriptum est nullam esse causam puellae verba addubitandi. Huberto in carcere permanendum fuit usque ad ultimam diem spatii poenalis. Therapeutes voluerat eum culpam suam confiteri. At Hubertus tacuerat.

...

Eius calcei pluviâ erant molliti, aqua per margines invaserat et impilia umidaverat. Statio laophori tecto erat plastico, sed Hubertus maluit foris stare. Pluvia trans cervicem eius currebat in amiculum. Omnia quae possedit, imposita erant vidulo griseo, qui iuxta eum stabat. Nonnulla lavandaria, nonnulli libri, circiter 250 epistulae uxori scriptae, quas numquam miserat. Sacculo bracarum infuerunt inscriptiones adiutoris sui probationis et deversorii, in quo aliquamdiu habitare ei licuit. Pecuniam

habuit transitoriam, quam in carcere operans acceperat. Hubertus nunc 42 annos natus erat.

Proximos annos quinque degit quietos. Hubertus victum sibi comparavit mercede, quam accepit eo quod ambulabat praetereuntibus commendans cauponam quandam philotheorum. Infra stabat in Aggere Principis Electoris cistulas chartonaceas manu tenens imaginibus ciborum versicoloribus ornatas. Hubertus gerebat petasum album. Callidè aliquantulum hominibus annuebat scidulas praeconias praebens; quo effecit, ut plerique eas acciperent.

Vir nunc habitavit in tribûs Pulchrimontanae habitaculo, quod constabat ex conclavi sesquialtero; a conductore operae magni aestimabatur, numquam aegrotus erat. Nolebat vitam degere curâ sociali, nec alio modo voluit pecuniam comparare.

...

Hubertus illam puellam statim recognovit. Quae certè habuit nunc sedecim septendecimve annos; fuit iuvenis mulier, segura, camisiâ astrictè induta. Puella ambulabat cum amico suo. Quae comedebat glaciem edibilem. Capillos reiciebat. Ridebat. Quae fuit illa.

Hubertus celeriter se vertit seorsim, nausèâ pressus. Exiit scutum chartonaceum, quod pendebat ex collo suo. Possessori cauponae dixit se aegrotare. Facies Huberti pallidior fuit quam ut ille aliquid contradiceret.

In tramine ferriviae urbanae aliquis sordi vitri fenestrae inscripserat verba »Amo te«, alter »PORCE«. Domi super lectum se collocavit indutus, faciei imposuit manutergium culinare madefactum. Dormivit per quattuordecim horas. Deinde surrexit, cafeam sibi coxit, consedit ad fenestram apertam. In suggrundâ domûs vicinae iacebat calceus. Parvuli conabantur eum baculo attrahere.

Post meridiem convênit amicum, virum habitaculi expertem, qui ad Spraviam fluvium pisces hâmbat. Iuxta eum consedit.

Hubertus: »Agitur« inquit, »de quâdam muliere«.

Tum ille: »Semper« inquit, »agitur de aliquâ muliere«.

Deinde tacuerunt. Cum amicus piscem ex aquâ tractum calcestro crepidinis impellens occîderet, Hubertus domum revertit.

In habitaculo iterum per fenestram prospexit. Calceus adhuc iacebat in suggrundâ. Hubertus ex armario frigidario sumpsit lagoenam cervesiae, quam tempori appressit. Caput eius vix refrixerat.

Puella omni die per Aggerem Principis Electoris ambulans omni die praeterierat Hubertum eiusque scuta chartonacea. Dies septimanarum finales sibi petivit a munere vacuas et exspectabat. Quandocumque illa veniebat, illum persequabatur, ante tabernas exspectabat, ante cafêa cauponasque. Quod a nemine animadversum est. Die Saturni quarto êmit tesseras cinematei. Invênit sedem directè post illam. Pro certo habuit se consilium suum ad veritatem adducturum esse. Illa manum imposuerat femori amici sui. Hubertus consedit, myron illius olfecit, audivit illam susurrantem. Qui cultrum ex cincturâ bracarum tractum sub iacculâ suâ tenebat comprehensum.

Illa capillos acu in summum caput compegerat, Hubertus vidit flavos capillos plumeos cervici angustae insitos. Paene singulos pilulos potuit numerare.

Credidit se ius habere omne.

...

Nescio, quare Hubertus venerit in ipsum grapheum mei. Non soleo habere mandatores fortuitos, sed grapheum situm est prope illud cinemateum, et fortasse îdem vir ad me vênit hac de causâ. Secretaria mecum telephonavit bene mâne, dixit virum quendam me exspectare non annuntiatum, qui in gradibus ante grapheum consedisset, et cultrum secum haberet. Secretaria ex longo tempore apud me munere fungitur, sed tunc timore erat affecta.

Hubertus in sellâ consedit collapsus, torpidis oculis aspectabat cultrum ante se in mensâ positum. Se non movit. Quaesivi ex eo, num mihi permetteret cultrum sumere. Hubertus annuit oculos non levans. Cultrum involucro imposui et in secretarium attuli. Deinde consedi ad Hubertum et exspectavi. Aliquando me aspexit. Prima verba quae fecit, erant haec: »Ego illud non feci«. Annui, nam scivi interdum mandatoribus loqui esse difficile. Cafeam ei praebui, deinde unâ consedimus et fumavimus. Aestas media fuit, per conclavis colloquialis fenestras magnas et apertas audiebantur clarae voces. Parvuli iter classiarium facientes. Iuvenes in cafeo adverso sedentes ridebant. Clausi fenestras, ut conclave fieret quietum et calidum. Multum temporis transactum erat, antequam Hubertus mihi narravit quid sibi accidisset. Qui miro modo loquebatur, omni sententiâ finitâ capite nuebat, ut ipse ea affirmaret quae dixerat, longasque pausas interponebat. Denique dixit se persecutum esse puellam usque in cinemateum, sed illam non cultro percussisse, istud facere se non potuisse. Tremebat. Cum per totam noctem consedisset ante ianuam graphei, fatigatus erat. Secretaria cum cinematei functionariis telephoneret, certior factus est profecto nil insoliti esse factum.

...

Postridie Hubertus attulit documenta causae iudicialis illo tempore factae. Inscriptio iuvenis mulieris invêni in libro telephonico, ei scripsi rogans, num parata esset mecum colloqui. Nulla fuit alia ratio illam accedendi. Stupefactus sum, quod illa profecto advênit.

Quae fuit iuvenis mulier, in gastronomiâ excolenda, lentiginosa, inquieta. Amicus eam comitatus erat, quem rogavi, ut exspectaret in altero conclavi. Cum mulieri narrarem, quid Huberto accidisset, obmutuit. Per fenestram prospexit. Ei dixi nos non posse id assequi, ut causa redintegraretur, nisi testimonium dictura esset. Mulier me non aspexit neque respondit. Non certo scivi, num eadem Hubertum adiutura esset, sed cum mihi valedicens manum porrigeret, vidi eam flevisse.

...

Nonnullis diebus post mulier nobis misit diarium suum vetus fasci cursuali inclusum. Quod fuit coloris rosei, involucro impressi erant equi atque corda. Quod demum scripserat nonnullis annis post res factas, nam non desierat vexari earum memoriâ. Nonnullis paginis mihi affixerat scidulas flavas. Octo annos nata cum esset, totam rem excogitaverat. Cum enim vellet Mariam magistram suam sibi soli esse addictam, aemulabatur Huberto, qui uxorem suam interdum secum abduxerat. Tota res erat phantasiâ puellari excogitata. Puella persuaserat amicae, ut coram iudice confirmaret fabulam ab amicâ fictam. Haec erant omnia.

Permissum est, ut causa iudicialis redintegraretur, amica confessa est, quod puellae illo tempore fecissent. Hubertus in hōc conventu iudiciali novo a culpâ absolutus est. Iuvenibus mulieribus haud facile fuit rem confiteri. Quae in auditorio iudiciali se apud Hubertum excusaverunt, sed is hoc flocci fecit. Contigit nobis, ut impediremus diurnarios, ne referrent de eâ re. Huberto damnum custodiae, quam passus erat quamvis innocens, restitutum est summâ plus 30.000 euronum.

...

Hubertus parvum cafêum êmit in tribu *Charlottenburg*, ibidem veneunt socolatae in domo confectae necnon bona cafea. Hubertus convivit cum muliere Italianâ, a quâ amatur. Interdum ibi bibo cafeam expressam. Sed non colloquimur de re illâ.

FABULAM CRIMINALEM

FERDINANDI DE SCHIRACH,

C.T. “*Kinder*”

IN LATINUM CONVERTIT

LEO LATINUS

FABULA NOVELLA

a.1828 a Iohanne Volfgango de Goethe conscripta
a Leone Latino in Latinum conversa.



JOHANN WOLFGANG VON GOETHE
(1749-1832)

Oecîs spatiosîs aulae castelli principalis bene mâne densâ nebulâ autumnali obvelatîs omnes homines venaturi, et equites et pedites, per velamen dilucescens iam plus minusve mixtim huc illuc moveri conspectabantur. Cognitum est quidquid agebat proximus quisque: prolongabat, concîdebat stapedem; offerebat sclopetum et sacculum embolorum, rectê ponebat peram taxoninam, cum periculum erat, ne canes impatientes lorîs affixi retinentem secum abstraherent. Hîc illîc autem aliqui equus intemperantius se gerebat, indole fervidâ permotus aut calcari equitis incitatus, qui quadam vanitate affectus ipso in diluculo non potuit, quin se ostenderet. Omnes autem exspectabant principem, qui iuveni uxori valedicens nimium cessabat.

Iidem brevi demum ante connubio coniuncti iam gaudebant animîs feliciter inter se congruentibus; uterque ingenio agili et industrioso, unus alterius studia et inclinationes libenter communicabat. Principis pater adhuc illo tempore vixerat eodemque usus erat, quo apparuerat omni membro civitatis officium esse aequâ cum industriâ vitam suam degere, aequo cum labore et effectum, omnem suo more primo parere, deinde frui.

Quam bene hoc successisset, his diebus patuit, quibus mercatores inter se congregati mercatum agerent, quem licet dicere nundinas. Princeps autem heri equo invectus uxorem per merces turbatim accumulatas ducens curaverat, ut illa animadverteret ipsâ in hâc regione mercaturam facientes feliciter misceri montium cum planorum incolas; necnon, ut uxor attenderet, quam industriosi essent incolae terrae suae.

Licet princeps his diebus cum subditîs suis ferê de nullâ re collocutus sit nisi de his urgentibus, praecipuê cum administro rerum fiscalium continuo laboraverit, tamen magister terrae venatorius ius suum retinebat, qui putabat fieri non posse, ne

temptarentur, ut agerent venationem iam dilatam, quo sibi ipsis et multis advenîs pararent sollemnitatem raram et extraordinariam.

Principissa autem haud libenter remansit; illis propositum erat invadere in montes remotos, ut expeditione inexpectatâ sollicitarent incolas saltuum ibi sitorum.

Maritus, cum abiit, non cessavit proponere, ut uxor faceret equitationem ducente Friderico avunculo principali; „necnon tibi“ inquit, „relinquam Honorium nostrum curatorem stabuli et aulae nobilem, qui omnia sit curaturus.“ His autem dictis descendens iuveni conspicuo necessaria mandavit et mox cum convivîs comitibusque abequitavit.

Principissa, quae marito per aulam castelli avehenti linteolo vibrato valedixerat, in conclavia posteriora se contulit, quae versus montes conspectum praebebant, qui eo pulchrior erat, quod castellum e fluvio sursum haud parvâ altitudine eminebat, ut tam in anteriore quam in posteriore parte vario modo aspectum haberet insignem. Principissa telescopium invênit eâdem ratione positum, qua vespere diei praeteriti relictum erat, cum homines super fruticeta et montes et cacumina silvosa ruinas altas praevetustae arcis gentilis considerantes colloquerentur, quae in crepusculo tam mirê apparebant, ut maximîs massîs luminis et umbrae monumentum aetatis antiquae conspicuum insignissimê patefieret.

Necnon hodie bene mane vitris approximantibus sat insigniter in conspectum venerunt colores autumnales illarum arborum multiplicum, quae inter muros ex multis annis nec impeditae nec perturbatae sursum nitebantur. Sed pulchra domina telescopium nunc direxit in locum aliquanto inferiorem, in planitiem vastam et lapideam, super quam fieret expeditio venatoria; mulier patienter momentum temporis exspectavit nec decepta est; nam, cum instrumento res conspicerentur clarae et exauctae, eadem oculîs nitidîs distinctê agnovit principem et magistrum stabuli superiorem; immo sibi non temperavit, quin iterum linteolo valediceret, cum maritum statim consistere et revidere magis opinaretur quam animadverteret.

Deinde avunculus princeps, nomine Fridericus, annuntiatus unâ cum delineatore suo intravit, qui portabat portafolium magnum bracchio suppositum. „Cara consobrina“ vetus dominus validus inquit, „hîc tibi proponimus conspectûs arcis gentilis, qui sunt delineati, ut e variis partibus ostendamus, quomodo ingens hoc aedificium tutorium et defensorium antiquitus vetustati et tempestati restiterit, et quomodo hîc et illic eiusdem muri recesserint, ibi et illîc in vastas ruinas collapsi sint. Interim nonnulla fecimus, ut haec loca fera redderemus magis accessibilia, nam plura non sunt necessaria, ut omnis migrator, omnis visitator admiratione commoveatur, gaudio compleatur.“

Deinde princeps singula folia cognoscens perrexit loqui: „Hîc, ubi secundum viam cavam, per exteriores muros circulares ascendens ipsum castrum advenis, quoddam ex tractûs montium saxîs solidissimîs nobis obversatur; in quo stat turris muralis, sed nemo sciverit, quo loco saxum naturale transeat in turrim arte constructam. Praeterea seorsim vides muros annexos et cavaedia per xystos deorsum pertingentia. At haud rectê dixi, reapse hoc fastigium praevetustum circumdatur silvâ; ex centum quinquaginta annîs hîc ne ulla quidem ascia sonum edidit, ut ubique ingentes stipites

succrescerent; ubi tu muris appropinquas, ācer laeve, quercus aspera, picea gracilis resistit scapo et radicibus; circa eas nobis more serpentino circumeundum et semitae sunt prudenter struendae. En aspice quam egregiē magister noster delineandi hanc proprietatem in chartā expresserit, quam insigniter varia genera stipitum radicumque operi murali internexa sint et rami ingentes lacunis pervaserint! Hic est locus ferus incomparabilis, unicus et singularis, ubi vestigia vetusta hominum agentium, qui iam pridem evaserunt, videntur vehementissimē repugnare naturae in aeternum vivaci et efficaci.“

Alterum autem folium proponens: „Quid dicis nunc de aulā castelli, quae vetere turri portae collapsā cum esset inaccessibilis, ex annis innumeris non iam erat intrata? Quam a latere accedere conati sumus, muros perfregimus, fornices displosimus, ut pararetur via commoda, sed secreta. Intra non necessarium erat res ad ordinem redigere, hic est planum fastigium saxosum naturā levigatum, tamen feliciter factum est, ut ingentes arbores hīc et illīc radices agerent; quae lentē, sed continuo succreverunt, nunc ramos suos usque ad porticus pergunt, in quibus eques olim huc illuc incedebat; immo, ipsas per ianuas et fenestras in oecos convexos, e quibus eosdem fugare nolumus; qui facti sunt domini; quales maneant. Strata foliorum profunda cum amoveremus, invenimus locum maximē mirabilem planatum. Qui fortasse est unicus et singularis in toto orbe terrarum.

Postea etiam dignum memoratu et ipso in loco visu est ācer, quod in gradibus ad turrim principalem ducentibus radices egit et succrevit in tantam arborem, ut aegrē tantum praetereatur cum pinna ascendas propter conspectum infinitum. At ibi quoque moraberis obumbrata, nam eadem arbor mirum in modum super omnia excellit.

Ergo gratias agamus artifici daedalo, qui variis imaginibus tam laudabiliter omnium aspectum nobis praebeat, quasi ipsi praesentes simus; qui artifex diei horis pulcherrimis usus per septimanas circa haec obiecta se movit. Hōc in angulo eidem et vigili, quem ei addidimus, instructum est habitaculum parvum et commodum. Vix credas, optima mea, quam pulchrum prospectum et conspectum in terram et aulam et muros faciendum idem sibi paraverit.

Nunc autem, cum omnia tam purē et insigniter sint delineata, idem haec commodē ad effectum adducet. His imaginibus volumus oecum horti nostri exornare; nec ullus oportet oculos suos lusoriē coniciat super xystos nostros regulares trichilas, porticus umbrosas, quin optet, ut considerationes suas tractet, aspectans in illo loco vetera et nova, rigida, inxsuperabilia, indelebilia et recentia, levia, inevitabilia.

Honorius intrans nuntiavit equos esse eductos; tum dixit principissa ad avunculum versa: „Sursum equitemus, ut videam ipsissima, quae in imagine mihi monstrasti. Ex quo hic versor, audio de hōc proposito, et nunc quidem cupiam videre, quae mihi narrata videbantur fieri non posse, simulacro ficta restant non verisimilia.“

„Nondum perfecta sunt, mea cara“ princeps respondit, „quae hīc vidisti, sunt ea quae fieri possunt et fient; nunc adhuc quaedam haesitant; ars oportet demum perficiat, ni eam pudeat coram naturā.“ – „Saltim equitemus sursum, etiamsi ad radices tantum; valdē libet circumspectare.“ – „Ut iubes“ princeps respondit. – „Sed equitemus per

oppidum“ domina perrexit dicere, „trans magnum forum, ubi innumera multitudo tabernularum similis facta est oppidulo vel castris. Credas requisita et negotia omnium familiarum terrae circumiectae manasse et in hunc locum medium congregata ad lucem prolata esse; nam hic is, qui attentè observat, per momentum temporis animo fingas pecuniam non esse necessariam, omne negotium hîc permutando peragi posse; nec res e principio aliter se habet. Ex quo princeps heri me causam attulit, ut hîs conspectis praepararem, iucundum mihi est cogitare, quomodo hîc, ubi montes et planities inter se contingunt, ex utrâque plâgâ tam dilucidè apparet, quibus indigeant et quae exoptent. Ut montani ligna silvarum centum rationibus sciunt transformare ferrumque ad omnem usum multiplicare, ita illi eis obveniunt merces afferentes multiplicissimas, in quibus materiae vix discernuntur et usus saepe non cognoscitur.“

„Scio“ princeps respondit „nepotem meum ad hanc rem animum suum maximè attendere; nam ipso hîc tempore anni maximè valet plus accipere quam dare; denique in eo est summus finis tam totius oeconomiae publicae quam minimae oeconomiae domesticae. Sed ignosce, mea optima, numquam libenter equito per forum et nundinas. Omni in gradu inhiheor et remoror necnon in mentem mihi revenit illud ingens infortunium flammiferum, cuius memoria quadamtenus incisa est oculis meis, cum tantam multitudinem mercium atque bonorum igne corripì viderem.

Vix me -“

„Ne careamus horis pulchris“ principissa dixit sermonem illius interrumpens, cum a viro digno iam compluries sollicitata erat illud infortunium fusè describente et narrante, quomodo ipse magno in itinere vespere in cauponâ optimâ prope forum sitâ, quod modo hominibus abundasset nundinas principales visentibus, cubitum iisset fatigatissimus, et nocte clamoribus et flammis habitaculum suum ingruentibus atrociter excitatus esset.

Principissa properavit, ut equum ascenderet dilectissimum comitemque suum nolentem volentem non duxit secundo monte ad portam posteriorem, sed adverso monte ad portam anteriorem; nam quis non libenter iuxta illam equitasset, quisnam illam haud libenter secutus esset. Itaque Honorius quoque volens abstinuerat a venatione alioquin sibi desideratissimâ, ut nemini serviret nisi principissae.

Ut erat exspectatum, iisdem non licuit in foro equitare nisi gradatim; at mulieris pulchrae atque amabilis verbis facetis comes quandocumque moratus exhilaratus est.

„Repeto“ illa inquit, „lectionem meam hesternam, quia patientia nostra necessitate tamen probatur.“ Revera tota multitudo hominum ita admota est equitantibus, ut idem lentè tantum iter pergere possent. Volgus laetè aspectabat Dominam iuvenem multisque e vultibus subridentibus apparebat homines perquam gaudere quod prima terrae mulier pulcherrima quoque esset et maximè amabilis.

Inter se commixti stabant montani, qui sedes suas quietas inter saxa, pinus, piceasque colerent, incolae e collibus, areis, pratis oriundi, mercatores oppidorum et quicumque alii illuc congregati erant. Tranquillè eosdem conspicata comiti suo dixit omnes illos, undecumque orti essent, plus necessario sumpsisse ad vestes fabricandas, plus panni

et lini, plures taenias ad easdem exornandas. „Mulieres videntur sibi non posse placere nisi sinuosissimae, viri quam effertissimi.“

„Hoc illis permittamus“ avunculus respondit. „Quocumque modo homines utuntur abundantiam suam, placet iis eadem se ornare et decorare.“ – Tum nuendo applausit domina pulchra.

Sic factum est, ut paulatim et gradatim attingerent plateam liberam, quae ducebat ad suburbium, ubi in fine multarum tabernularum mensarumque venditoriarum in conspectum venit maius aedificium tabulatum, quod vix conspexerant, cum obstrepuit rugitus perterritus. Visa est incohari hora bestias feras cibandi, quae ibi ostendebantur; leo quam fortissimè edebat vocem suam ad regiones silvestres et desertas aptam, equi horrerunt et hominibus animadvertendum erat inter se eruditos pacificè laborantes terribiliter se annuntiare regem desertorum. Ad tabernulam cum accessissent, non potuerunt quin aspectarent ingentes picturas versicolores, quarum coloribus vehementibus imaginibusque saturis exponebantur illae bestiae alienae, ut easdem spectare cuperet cupiditate inexcusable civis rei publicae pacificus. Ingens tigris trucissima in nigritam insiluit eundem dilaceratura; leo gravi cum maiestate stabat, quasi ante se nihil videret dignum praedatu; alia animalia mirabiliter versicoloria iuxta haec ingentia minore digna erant attentione.

„Redeuntes“ principissa inquit, „descendamus, ut propius aspectemus raros illos hospites“ – „Mirum est“ princeps respondit „homines semper velle excitari rebus terribilibus. – Intra tigris pertranquilla in carcere suo cubat, at in hac imagine necesse est eandem ferissimè insilire in nigritanum, ut homines credant se intra similia visuros esse; quasi non satis sit caedium et homicidiorum, incendiorum et interituum; cantores circumforanei – omni in angulo student talia narrando repetere. Boni homines volunt terreri, ut postea eo magis sentiant, quam pulchrum et laudabile sit liberè respirare.“

Quocumque horrendum talibus terriculamentis insitum memoriae hominum inhaeserat, omnia universa statim extincta sunt eo momento, quo homines per portam egressi intraverunt regionem amoenissimam. Via primum iuxta fluvium producta est, ad aquam adhuc angustam, levibus tantum linitibus navigabilem, quae paulatim et gradatim in amnem maximum evadens nomine servato terras remotas erat animatura. Deinde homines iter perrexerunt per hortos fructuarios et voluptuos leniter ascendentes et paulatim circumspectabant loca aperta beneque inhabitata, usque dum primo frutice, deinde silvula recipere locisque amoenissimis oculi eorum complerentur et recrearentur. Valle prato obsita, brevi demum ante iterum resecta, examiti simili, quae vivido fonte superiore subito scaturiente erat umidata, illi comiter recepti sunt, ut obirent locum altiorem liberiolemque, quem e silva emoti post ascensum vividum assequerentur; tum supra novos arborum greges ante se castellum vetustum viderunt magna distantia, locum itineri suo destinatum e culmine saxoso silvosoque eminentem. Respicientes autem – nam numquam huc aliquis accedebat nisi se circumvertebat – per arborum altarum lacunas fortuita sinistra parte viderunt castellum principale sole matutino illuminatum, urbis partem altiorem bene aedificatam, fumo leviter obnubilatam et quae sequuntur, dextra parte urbem

inferiorem, flumen aliquoties curvatum, pratis et molendinis circumdatum; ex adverso regionem longinquam et uberrimam.

Quo conspectu saturati aut potius, ut fieri solet hominibus loco tam alto circumspicientibus – eo magis cum cupere coepissent conspectum latiore, minus limitantem, equitaverunt sursum per latam planitiem lapidosam, ubi ingens ruina iisdem obversa est tamquam culmen viridi coronâ ornatum, circa infimam eius radicem paucae arbores vetustae. Cum perequitassent, advenerunt ipsum latus maximê arduum maximêque inaccessibile. Ingentia saxa ex tempore antiquissimo ibi stabant, ab omni mutatione aliena, stabilia, bene prominebant; sic ad turris formam redacta. Ea quae inter saxa deciderant, praegrandibus laminis ruderibusque remoto ordine unum super aliud posita erant, ne invadere posset ipse fortissimus. At iis, quae sunt ardua et praerupta, iuvenes videntur allici; talia accedere, invadere, expugnare volup est membris iuvenilibus. Principissa apparuit inclinata esse ad hanc rem experiendam, Honorius erat paratus, avunculus principalis, quamvis minus agilis, haud restitit neque voluit iners videri; equi montis in radicibus sistebant sub arboribus, homines studebant et quendam locum attingere, ubi prominenti saxo ingenti praebita est area, ex qua prospici posset, iam ferê more avis, sed satis graphicê.

Sol altissimo ferê loco positus splendebat clarissimê. Castellum principis, partibus suis, aedificiis principalibus, âlis, tholis, turribus compositum, videbatur perquam magnificentum. Urbs superior ex integro visibilis; necnon inferior commodê inspicere potuit, immo, telescopio in mercatu distingui poterant singulae tabernulae. Honorius assueverat instrumentum tam utile loro sibi superponere; quo spectabatur secundum et adversum fluvium; citra terra montis instar per xysta interrupta, ultra terra fertilis, sursum labens plena et collibus modicis varia, vici innumerabiles. Iam pridem homines solebant rixari, quot vici videri possint ex hâc loco superiore.

Supra planitiem longinquam erat silentium serenum, quod esse solet tempore meridiano, quo antiqui dicere solebant deum Pana dormire omniaque animantia spiritum continere, ne ille excitaretur.

„Haud primo fit“, principissa inquit „ut loco tam alto, e quo in longinquum prospicere possum, animadvertam, quam purum pacificumque aspectum praebet clara natura et efficiat, ut mihi toto mundo nihil adversi inesse videatur; at si redieris in habitaculum humanum, sive altum sive humile sive latum sive angustum, semper est aliquid pugnandum, litigandum, componendum, ordinandum.“

Honorius, qui interim telescopio urbem aspexerat, vocavit: „Ecce!“ Ecce! In mercatu incendium exortum est.“ Ceteri eo conspicati viderunt aliquantum fumi, flamma sole facta erat minus visibilis. „Ignis circacircum augetur!“ Clamaverunt, semper per telescopia spectantes; nunc principissa quoque oculis bonis, non armatis infortunium conspexit; interdum rubor quidam flammaram cognoscebatur, vapor ascendebat, princeps avunculus: „Redeamus“ inquit, „hoc non est bonum, semper timui, ne infortunium iterum viderem.“ – Cum descendissent, equos adibant. Tum principissa ad dominum veterem: „Intro“ inquit, „equita, properê, sed non sine agasone, relinque mihi Honorium, mox sequemur.“ Avunculus cum sentiret haec verba esse

consentanea, immo necessaria, de declivitate vastâ et saxosâ equitavit, quantum hoc fieri potuit adversus sôli asperitatem.

Principissa cum equum incendisset, Honorius: „Equita, quaeso, lentê, principissa semper serenissima. Tam in urbe quam in castello instituta incendiaria optime sunt ordinata, ibi homines hac re inexpectatâ non perturbabuntur. At hic solum est malum, lapilli, gramen breve, incertum est celeriter equitare, et sic quoque, cum advenimus, ignis iam erit exstinctus. Hoc principissa non putavit, ipsa sibi visa est fumum dilatescentem, fulgur coruscans diffusum vidisse, tonitrua audisse. Nunc imaginata est omnia illa terriculamenta mercatûs inflammati, quae e probo avunculo saepius enarrata altê inhaeserant animo principissae.

Sanê horribilis fuerat ille casus, sat improviso et insigniter factus, ut homines per totam vitam timidê suspicarentur imaginati tale infortunium iterari posse; quo casu nocturno in magnâ plateâ mercatoriâ tabernulis abundanti incendio repentino una tabernula post aliam affecta erat, antequam homines in et iuxta has casulas dormientes ex somnîs artissimîs excitati sunt; ipse princeps, qui ex aliâ regione fatigatus advenerat, modo demum somno sopitus, ad fenestram prosiluit, omnia vidit horribiliter illuminata, flammam unam aliam transsilientes in se inhiantes. Domus mercatoriae flammis repercussis erubescens iam rubêre videbatur; ignem concepturae flammam prorupturae. Infra vis ignea inevitabiliter saeviebat, tabulae lignae stridere, asseres crepitare non desinebant, panni lintei sublatis, quorum laciniae phantasmata in elemento suo ultro saltantes consumerentur et hîc illîc ardore iterum apparent. At deinde stridulo clamore sublato unusquisque servavit quidquid sibi praesto erat; servi ministrique cum dominis studebant struices auferre flammis iam correptas, de compage ardenti abripere, ut in cistam inderent, quam denique coacti sunt ut relinquerent properis flammis rapientibus. Quidam optans, ut igni crepitans momento saltem temporis sisteret, locum, ubi moraretur, circumquaerens, subito igne correptus est totâ cum re suâ; uno in latere iam ardebat, flagrabat, quod altero adhuc stabat in tenebris obscuris. Homines pertinaces, constantes contumaciter resistebant hosti contumaci, ut servarent nonnulla, superciliis et capillis amissis. Dolendum erat nunc coram animo principissae pulchro res illae sursum deorsum versa renovatae sunt. Hilaris conspectus matutinus nunc visus est obnubilatus, oculi principissae obscurati silva prataque aspectum praebuerunt mirabiliter anxiosum.

In vallem pacificam equitantes, eiusdem frigus recreabile non respicientes, vix nonnullis gradibus a fonte rivi principissa in infimae vallis fruticeto aspexit aliquid mirabile, quod mox tigridem esse cognovit; quae bestia assiliens, qualem brevi ante viderat pictam, obveniebat; qua imagine, additis horribilibus modo mente revolutis, principissa mirum in modum affecta est. „Fuge“ Honorius clamavit, „Domina propitia, fuge!“ . Mulier equum vertit, versus montem arduum, unde devenerat. Iuvenis autem, bestiae obiens pistolio dstricto, cum satis se appropinquasse putaret, iaculatus est; at dolenter aberravit, tigris seorsim prosiluit, equus stupefactus est, sed bestia ira incensa iter suum perrexit, sursum, ipsam principissam secuta. Mulier, quantum potest equus, secundum montem arduum lapidosumque ascendens, vix

timens, ne animal tenerum, talem laborem inexpertum se non sustinere posse. Equus autem ab equite muliere excitata nimium contendens, declivitatis ruderibus iterum iterumque impulsis denique calcitravit, defessus delapsus est. Pulchra domina, quo erat animo prompto et agili, non cessavit in pedes se sistere erecta, surrexit quoque equus; at tigris iam appropinquabat, quamvis non vehementi cum celeritate. Solo enim iniquo, lapidibus acribus, eius impetus videbatur impediri, eo tanto, quod Honorius post ipsam tigridem volabat, deinde iuxta eandem temperate equitabat monte secundo eo tantum tigridis robur denuo videbatur incitari et stimulari. Ambo cursantes simul assecuti sunt locum, ubi principissa ad equum stabat. Eques dorsum dorso deflexo altero pistolio iaculatus capiti beluae globulum immisit, ut eadem statim corrueret, et in longitudinem porrectus etiam magis appareret eius potestas horrenda, e qua nunc corporea species relicta cubabant. Honorius de equo descendit, iam in genua procubuit super bestiam, motibus suis mitigatis cultrum cervarium dstrictum manu dextra tenebat. Formosus erat iuvenis, adequitaverat talis qualis a principissa saepe spectatus erat lusus lancearum arcuumque particeps. Eodem modo in curriculo iuvenis praeterequitanis globulo percussum est caput Turci palo infixum, sub ipso turbano media in fronte; item equo rapidê advectus caput nigritani nudo acinaci affixum humo sustulerat. Quod omnibus artium talium feliciter peritus erat, hac re utraque sollertia valde profuit.

„Confice“ principissa inquit, „bestiam, timeo, ne te laedat unguibus suis.“ – „Ignosce“ iuvenis respondit „tigris iam satis mortua est, nec velim pellem affligere, quae hieme proxima niteat oportet in sclodiâ tuâ.“ – „Ne sis impius! Quidquid est pietatis, in animo profundissimo – explicatur tali temporis momento.“ – „Ego quoque“ Honorius respondit „numquam magis pius fui quam modo; sed eâ de causâ nunc cogito de re laetissimâ, hanc pellem non aspicio nisi animo fingens, quomodo eâdem ornêris iter faciens voluptuosum.“ – „Qua semper commonerer huius momenti terribilis“ illa respondit. – „Tamen hoc est“ iuvenis dixit genîs fervidîs, „signum victoriae innocentius quam arma hostium occisorum ante victorem ostentationis causâ prostrata.“ – „Eandem si aspexero, recordabor tuum animum audacem corpusque habile, nec est quod memorem te per totam vitam confidere posse animo meo grato et veniae principis. Sed surge; iam exanimata est bestia, cetera nobis considerata sunt, sed primo surge!“ – „Cum in genua“ iuvenis inquit „iam procubuerim, cum corpus nullum nunc positum est modo alioquin mihi interdicto, sine me rogare, ut certus fiam favore veniâque, quas mihi hîc momento temporis concedis. Persaepe iam rogavi maritum tuum altum, ut mihi concederet vacationem et iter longinquum. Qui tam felix est, ut assidat ad mensam vestram, quem vos dignamini concedendo, ut conversetur cum convivîs vestrîs, oportet viserit mundum, terras peregrinas. Affluunt enim ex omnibus locis et sermo, si est de aliquâ urbe, de aliquo loco orbis terrarum praestantiore, semper quaeritur ex viro vobis addicto, num ipse ibi fuerit? Nemo putatur prudens esse nisi tales locos omnes viderit, quasi erudiendus non sit nisi aliorum causâ.“ – „Surge!“ principissa iterum dixit, „haud libenter velim aliquid optare et rogare contra mariti mei persuasiones; sed ni fallor, causa, qua usque nunc retentus es ab illo, mox tolletur. Maritus enim id sibi

proposuerat, ut sineret te maturescere, dum fieres vir nobilis sui iuris, qui sibi ipsi necnon domino suo peregrê quoque tantum honorem faceret, quantum usque nunc in aulâ, et sanê puto te facinore tuo magis commendari ad iter faciendum quam omni syngrapho, qui datur iuveni.“

Neque principissa cuidam tristitiae loco iuvenilis laetitiae Honorii vultu expressae vacavit animadvertendae neque Honorius ipse animi commotioni diutius indulgendae, nam mulier montem properê ascendens advênit puerum manu secum ducens directê obvênit gregi, quem novimus; vix autem Honorius animo capto surrexerat, cum mulier ululans clamansque incubuit in cadaver tigridis, qua actione et vestibus suis quamvis purê decôrîs, tamen mirîs atque versicoloribus statim divinari poterat eandem esse magistram et cultricem illius animalis prostrati, cum puer, qui erat nigrîs oculîs nigrîsque cincinnîs, tibias manu tenens, iuxta mulierem genua flexerat, similiter ac mater lacrimans, minus vehementer, sed animo commotissimo.

Misera haec muliercula, cum animum vehementissimê erupisset, carptim quidem et interruptê flumen secutum est verborum, quasi rivus torrens saltibus ab uno saxo ad alterum praecipitaretur. Sermo naturalis, brevis et abruptus animos insigniter commovit; frustra conaremur eundem convertere in sermones nostros, sed non licet reticere argumenta eius praecipua. ‚Te occiderunt, miserum animal, occiderunt sine necessitate! Cicurata cum esses, voluisti tranquillê decumbere nosque exspectare; nam doluêre plantae pedum tuae unguesque tui erant debiles! Defuit tibi sol ardens, quo maturescerent, tu fuisti pulcherrima omnium tui generis; regalem tam magnificê porrectam dormientem, qualis tu nunc hîc cubas, mortua quae es, nec resurrectura. Cum mane primâ luce experrecta rostrum aperiebas, linguam rubram protendebas, videbaris nobis arridêre, et quamvis raccans, tamen ludibunda cibum tuum accepisti e manibus mulieris, de digitûs pueri! Quamdiu nos te comitati sumus itinera facientem, quamdiu sodalitas tua nobis fuit gravis et fructuosa! Nobis! Nobis ipsis ‚de comedentibus exivit cibus et de fortibus est egressa dulcedo.‘ Sic non iam erit! Vae! vae!’ -

Nondum queri desierat, cum trans mediam montis altitudinem praeter castellum homines equîs rapidê advecti sunt, qui mox principem praeequitantem venandi causa comitari cogniti sunt. Iidem in montibus posterioribus venantes nubes incendii ascendentes cum vidissent, per valles et saltus quasi feras vehementissime persequentes venarentur, iter directum ad hoc indicium triste fecerant. Per planitiem vastam et lapidosam equis equis incursantes stupefacti oculis emissiciis cognoverunt gregem inexpectatum, qui in area vacua insigniter praecelluit. Primo cognitu obmutuerunt viribus aliquatenus reffectis animis corporibusque quadamtenus recreatis paucis verbis explicata sunt ea quae non ipso aspectu patebant. Itaque princeps ab equitibus et peditibus eosdem secutis circumdatus audiverat de re mirâ atque inauditâ. Consilii haud expertes erant, quid agendi esset; imperando exsequendo princeps occupatus erat, cum vir in circulum ursit, staturâ longâ, variê mirêque vestitus, similiter ac mulier et puer ille. Nunc tota familia, vir, uxor, filius unâ indicaverunt se dolêre stupefactos. Sed vir animi compos distantîâ venerabili a principe remotus: ‚Non est“ inquit ‚tempus lamentandi; eheu, mi domine et venator potens, leo quoque

aufûgit, etiam huc in montes cucurrit. At parce leoni, miserêre, ne illa ita pereat ut haec bestia bona.“

„Leoni?“ princeps inquit, „esne eius vestigium secutus?“ – „Sum, Domine! Agricola quidam infra versatus, qui sine necessitate in arborem aufugerat, me direxit, ut magis sinistrorsum ascenderem, sed ante me vidi magnam catervam hominum equorumque, ut curiosus versus hoc latus; carricate sclopetata vestra, cautê faciatis, haud infeliciter accidet, si eum in silvas abditas agetis; at denique, vir bone, animali tuo parcere non poterimus; quare tam incautus fuisti, ut bestiae effugerent?“ – „Ignis“ ille inquit „eruptus est, nos quieti fuimus animis suspensis, at horreo pulveris pyrii disploso incendia usque ad nos proiecta sunt, superque rebus mandandis occupabatur, cum de castello vetusto supra sito visus est vir custos, qui vigilabat technyphion pictoris, cum ibi habitabat operariosque custodiebat. Qui venit anhelans assiliens, sed mox paucis verbis annuntiaverat: leonem supra se collocavisse post murum circularem superiorem in loco aprîco, sub fago centenariâ et perquam quietum esse. Necnon indignatus vir finivit verbis: „Quid heri bombardam meam in urbem portavi, ut expurgaretur! Si eadem praesto mihi fuisset, leo non iam surrexisset et pellis fuisset mea et ego, ut aequum est, de eâdem gloriatus essem per totam vitam.“

Deinde princeps, qui hac quoque in re adiutus est experienciâ suâ militari, cum certê iam fuit in discrimine rerum, quo in compluribus partibus imminuerat malum inevitabile, dixit: „Quannam sponsionem mihi das leonem, si ei pepercerimus, nullum damnum illaturum esse conterraneis meis?“

„Ecce haec mulier et hic puer“ pater properê respondit, „parati sunt leonem quietum retinere, dum caveam ferratam in montem afferam, ut illum innocuum et integrum reportemus.“

Puer videbatur temptare tibiis suis. Quod instrumentum fuit generis lenis et dulcis, quales tibiae erant brevirostratae; artis peritus scibat sonos inde elicere iucundissimos. Interea princeps e custode quaesivit, qua viâ leo ascendisset. Ille respondit: „Per viam cavam, quae utroque in latere muro obsaepa, semper fuit unicus aditus et maneat oportet; duae semitae, quae item duxerant in castellum, ita deformavimus, ut nemo nisi per viam angustam illam priorem contingere possit ad castellum magicum, quale fieri vult mens atque sapor principis Friderici.“

Princeps aliquamdiu cum deliberavisset puerum aspiciens, qui semper leniter perrexerat modos musicos praeludere, ad Honorium versus: „Tu“ inquit „hodie multa fecisti, perfice nunc opus diurnum. Occupa viam angustam, parate bombardas vestras, sed nolite sclopetare si aliâ ratione animal poteritis fugare; si usus venerit, accendite ignem, quem leo timebit descensurus. Cetera a vïris mulieribusque praestentur, ut oportet.“ – Honorius properê suscepit mandata exsequenda.

Puer autem melodiam suam persequabatur, quae nulla fuit, sequentia tonorum lêgis expers, fortasse ideo tam flebilis; circumstantes videbantur fascinati esse modîs musicîs cantico similibus, cum pater coepit atque perrexit loqui decoro entusiasmo:

„Deus principi dedit sapientiam, simulque fecit, ut ille intellegeret omnia opera divina esse sapientia, omne suo modo. Ecce saxum stans, stabiliter nulloque modo se movens, tempestati resistens et luci solis; caput eius ornatur arboribus praevetustis

eoque modo coronatum in longinquum circumspicit; si quod saxi fragmentum deripitur, non manet quod fuit; diffractum in partes multas, quibus lätus montis declive obtegatur. Sed ibi quoque partes saxi nolunt permanêre, alacriter desiliunt in profundum, rivo recipiuntur et ad flumen portantur. Non resistentes, non refragantes, angulatae, immo, laeves et rotundatae celerius promoventur et contingunt a fluvio ad fluvium, denique ad oceanum, ubi gigantes agminatim iter faciunt et in profundis borriunt pumiliones.

At quis praedicat gloriam Domini, quem laudant stellae, in saecula saeculorum! Cur remota respicitis? Aspiciate hanc apiculam! Sêro quoque autumno eadem colligit sedulê et domum aedificat, ad amussin et ad normam anguli, ut magister et ut socius; ecce formîca! Quae novit viam neque amittit, quae sibi aedificat habitaculum ex culmîs graminum, grumulîs terrenîs, aciculîs pinuum, quod in altum aedificat et incurvat; sed frustra laboravit, nam equus omnia disculcat et diverrit; eccum! Equus trabês formîcae disterit, disterit eius plancas, impatienter fremit neque potest morari; nam dominus equum fecit socium venti, comitem tempestatis, ut ferret virum, quo idem ferri vellet, et mulierem, quo eadem vehi cuperet. – At in silvâ palmarum ille versabatur, leo, gravi gradu loca deserta permigravit, ibi dominatur omnibus bestiis, quarum nulla ei resistit. Sed homo scit leonem cicurare, ut animal omnium crudelissimum revereatur imaginem Dei, secundum quam angeli quoque sunt facti, qui serviunt Domino eiusque ministris. Nam in *laco leonum* Daniel non timuit; qui mansit firmus et bono animo nec eius cantus pius interruptus est rugîtu leonum.“

Quem sermonem naturali cum quodam entusiasmo habitum puer hîc illîc sonîs iucundîs comitatus est; pater autem, cum finivisset, filius puro gutture, clarâ voce, aptîs modulîs coepit intonare, deinde pater tibiîs comprehensîs, puer autem cantavit:

En prophetam audio cantantem

In ferorum laco leonum versantem;
 Qui ab angelis nunc recreatur,
 A vîro bono quidnam timeatur?
 Pio cantu bestias feras mitigat,
 Saevissimas suavissimê laetificat!

Pater perrexit stropham tibiîs comitari, mater hîc illîc voce alterâ particeps erat.

Id autem perquam insigne erat, quod puer lineas strophae nunc ad alium ordinem transposuit eoque, ubi non novum sensum effecit, tamen animum in se et per se ipsum magis commovit excitatum.

En lenes angelos volantes

sonîs dulcibus nos recreantes,
 caeli cantica cantantes!

In laco leonum qui versatur

Ipsa puer non sollicitatur.

Pio cantu îdem faciat,
Ne quid mali sibi accidat.

Angeli non desinunt volare

salvum puerum servare.

Deinde viribus exauctis omnes tres coepêrunt canere:

Nam ab Aeterno omnia imperantur

Terra et mare facile placantur;
Qui leones facit agnis mitiores,
Qui furentes undas facit leniores.
Eius nutu gladii dstricti statim retinentur;
Quo volente spes ac fides mox explentur;
Et qui sedulê precantur
Îs mira revelantur.

Omnes silebant, auscultabant. Eo demum tempore, quo soni evanuêrunt, affectus animorum animadverti et ubique observari potuit. Omnes quodammodo erant placati; omnis animus suo modo commotus. Princeps, quasi nunc demum conspiceret malam fortunam, quae sibi brevi ante imminuerat, suspicit ad uxorem suam, quae, marito annexa, sibi non temperavit, quin protraheret linteolum acu pictum eodemque oculos obtegeret. Iucundum mulieri erat pectus iuvenile relaxari molestiâ, quam rebus modo factis sustinuerat. Multitudo hominum perfectê silebat, videbantur obliti esse pericula, incendium infra saeviens et supra leonem dubiê quiescentem et mox surrecturum.

Princeps nutu imperans, ut equi propius adducerentur, congregatos commovit, deinde ad mulierem versus dixit: „Ergo putatis vos leonem, qui effûgit, ubi conveneritis, cantu vestro, cantu huius pueri, hîs sonis tiliarum placare et innocuum necnon integrum reducere posse in clausuram suam?“ – Quod illi verum esse dixerunt, affirmantes atque asseverantes; castellanus iis attributus est dux viarius. Nunc princeps cum paucis properê abiit, principissa lentius cum cetero comitatu secuta est; mater autem et filius a custode, qui interim sclopetum sibi comparaverat, comitati, montem arduum ascendêrunt.

Antequam viam cavam iniêrunt, qua aditus ad castellum parabatur, invenêrunt venatorem arida sarmenta accumulantem, quibus quocumque casu magnum ignem accendere possent. – „Hoc“ mulier inquit, „necesse non est. Sine hîc omnia bene fient.“ –

Deinde Honorium aspexêrunt in parte muri sedentem, bombardâ bifistulatâ gremio impositâ, in statione suâ ad omnem eventum paratum. Sed îdem appropinquantes vix animadvertere videbatur, sedebat tamquam profundis cogitationibus traditus, circumspiciebat tamquam non attentus. Mulier eum allocuta est rogans, ne sineret ignem accendere, sed ille parum attendere visus est ad mulieris sermonem; quae

vividê loqui perrexit, vocans: „Iuvenis formose, tigridem meam occîdisti, tibi non maledîco, parce leoni meo, bone iuvenis, te benedîco.“ –

Honorius in directum prospiciebat, eo, quo sol in cursu suo se declinare coepit. – „Spectas versus occidentem“, mulier vocavit, „quod bene facis, ibi multa sunt agenda; propera, noli cessare, superabis.“ – Deinde ille visus est subridere, mulier perrexit ascendere, sed sibi non temperavit, quin reversa aspexit remanentem; sol rubidus faciem illîus illuxit, numquam se pulchriorem iuvenem vidisse putavit.

„Si filius tuus“ nunc custos dixit, „cantans sicut tibiîsque canens tibi persuasum est leonem allicere et placare potuerit, nos leone perfacile potiemur, quia bestia ingens proximê ad fornices pertusas collocata est, per quas, cum porta principalis sit obruta, introitum inveniemus, quo eamus in aulam castelli.

Puer leonem si eo illexerit, aperturam facile claudam, et puer, si bonum sibi videbitur, bestiam evitans perlabi poterit per aliquam ex parvis cochlidibus, quas in angulo viderit. Nos abdamus, sed sic me collocabo, ut globulo meo omni momento temporis puerum adiuvere possim.“

„Quae omnia non erunt necessaria, Deus et ars, pietas et fortuna debent optima facere.“ –

„Sic sine“, custos inquit, „sed ego nôvi officia mea. Primo vos ducam per semitam difficilem in murum, adversus introitum, quem memoravi; puer descendat, quasi in harenam fabulae agenda, et bestiam placatam eo illiciat.“ Quod factumst; custos et mater abditi de alto despectaverunt puerum qui per cochlides descendit et in aulâ clarâ se ostendit et evanuit per obscuram aperturam ex adverso sitam, sed statim sivit audire tibiarum suarum sonum, qui paulatim et gradatim deminutus denique obmutuit. Pausa habuit satis expectationis, venator vetustus periculi haud imperitus sollicitatus est de raro casu humano. Ipse sibi dixit se malle ipsum obvenire bestiae periculosae; mater autem vultu hilari, capite protenso auscultans nullo modo visa est inquieta esse. –

Denique tibiae iterum auditae sunt, puer exiit ex cavernâ oculîs nitidê saturatîs, leo secutus lentê, quodam cum labore, ut videbatur. Hîc et illîc cupiebat decumbere, sed puer eum per semicirculum duxit per arbores paulum defoliatas, fronde versicolori ornatas, dum denique ultimîs in radiîs solaribus, quos sol per parietinarum lacunam immittebat, tamquam beatus considit iterumque incohat canticum suum placans, quod nos quoque non possumus, quin iteremus.

En prophetam audio cantantem

In ferorum laco leonum versantem;
 Qui ab angelîs nunc recreatur,
 A vîro bono quidnam timeatur?
 Pio cantu bestias feras mitigat,
 Saevissimas suavissimê laetificat!

Interim leo proximê accubuerat ad puerum eiusdemque gremio gravem unguem dextrum anteriorem imposuerat, quem puer cantare pergens lepidê mulcebat, sed mox animadvertit acrem ramum spinosum infixum esse inter plantae partes exstantiores. Diligenter puer evulsit acumen, quo leo erat violatus, subridens anaboladium versicolor e serico confectum de cervîce sumpsit, brancamque formidabilem monstri obvolvît, ut mater bracchiîs expansîs dorsum recurvaret et fortasse more sueto acclamasset et applausisset, nisi a custode pugno fortiter imposito admonita esset periculum nondum esse transactum.

Pulcherrimê puer perrexit cantare, postquam paucîs tonîs praelusit:

Nam ab Aeterno omnia imperantur
 Terra et mare facile placantur;
 Qui leones facit agnîs mitiores,
 Qui furentes undas facit leniores.
 Eius nutu gladii dstricti statim retinentur;
 Quo volente spes ac fides mox explentur;
 Et qui sedulê precantur
 Îs mira revelantur.

Si quidem fieri potest, ut animo fingas sentiri in vultibus bestiae tam trucis, tyranni silvarum, despotae regni animalium, aliquid comitatis et animi grati contentique, hoc sensum est in vultibus leonis, de quo narramus necnon puer facie serenâ, qua erat, aspectum praebuit superatoris potentis atque victoriosi – ille quidem non fuit aspectu superati, nam robur ei immansit, tamen cicurati, propriae voluntati pacificae traditi. Puer autem perrexit canere et cantare, suo more lineas mutans novasque addens:

Hac de causâ angelus beatus
 pueros bonos semper est tutatus,
 facta mala ut arcêret,
 incepta proba ut fovêret.
 Ita filio tenero, carissimo
 piâ mente, modo musico
 mirabiliter est associatus
 silvarum ingens rex iubatus.

FINIS.

VOCABULA RARIORA RECENTIORAVE BIBLIAEQUE LOCI LAUDATI

,de comedentibus exivit cibus et de fortibus est egressa dulcedo.'

orig. ...*kam die Speise von den Fressern, und süße Labung von den Starken.*

cfr VULG. Iudices 14 (1) Descendit igitur Samson in Thamnatha vidensque ibi mulierem de filiabus Philisthim (2) ascendit et nuntiavit patri suo et matri dicens: „Vidi mulierem in Thamnatha de filiabus Philisthinorum, quam quaeso ut mihi accipiatis uxorem. (3) Cui dixerunt pater et mater sua: „Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum et in omni populo meo, quia vis accipere uxorem de Philisthim, qui incircumcisi sunt?“ Dixitque Samson ad patrem suum: „Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.“ (4) Parentes autem eius nesciebant, quod res a Domino fieret et quaereret occasionem contra Philisthim. Eo enim tempore Philisthim dominabantur Israheli. (5) Descendit itaque Samson cum patre suo et matre in Thamnatha cumque venissent ad vineas oppidi, apparuit catulus leonis saevus rugiens et occurrit ei.

(6) Inruit autem spiritus Domini in Samson et dilaceravit leonem, quasi hedum in frusta concerperet, nihil omnino habens in manu. Et hoc patri et matri noluit indicare.

(7) Descenditque et locutus est mulieri, quae placuerat oculis eius. (8) Et post aliquot dies revertens, ut acciperet eam, declinavit, ut videret cadaver leonis. Et ecce examen apium in ore leonis. Erat ac favus mellis. (9) Quem cum sumpsisset in manibus, comedebat in via. Veniensque ad patrem suum et matrem dedit eis partem. Qui et ipsi comederunt. Nec tamen eis voluit indicare, quod mel de corpore leonis adsumpserat. (10) Descendit itaque pater eius ad mulierem et fecit filio suo Samson convivium. Sic enim iuvenes facere consueverant. (11) Cum igitur cives loci vidissent eum, dederunt ei sodales triginta, qui essent cum eo. (12) Quibus locutus est Samson: „Proponam vobis problema. Quod si solveritis mihi intra septem dies convivii, dabo vobis triginta sindones et totidem tunicas. (13) Sin autem non potueritis solvere, vos dabitis mihi triginta sindones et eiusdem numeri tunicas.“ Qui responderunt ei: „Propone problema, ut audiamus.“ (14) Dixitque eis: „**De comedente exivit cibus et de forte est egressa dulcedo.**“ Nec potuerunt per tres dies propositionem solvere. (15) Cumque adesset dies septimus, dixerunt ad uxorem Samson: „Blandire viro tuo et suade ei, ut indicet tibi quid significet problema. Quod si facere nolueris, incendimus et te et domum patris tui. An idcirco nos vocastis ad nuptias, ut spoliaretis?“ Quae fundebat apud Samson lacrimas et querebatur dicens: „Odisti me et non diligis. Idcirco problema, quod proposuisti, filiis populi mei non vis mihi exponere.“ At ille respondit: „Patri meo et matri nolui dicere et tibi indicare potero?“

in laco leonum Daniel non timuit

orig. *Denn in der Löwengrube scheute sich Daniel nicht...*

cfr VULG. Daniel 6,11-28: Viri igitur illi curiosius inquirentes invenerunt Danihel orantem et obsecrantem Deum suum (12) et accedentes locuti sunt regi super edicto: „Rex, numquid non constituisti, ut omnis homo, qui rogaret quemquam de diis et hominibus, usque ad dies triginta nisi a te, rex, mitteretur in lacum leonum?“

Ad quod respondens rex ait: „Verus sermo iuxta decretum Medorum atque Persarum, quod praevaricari non licet“. – (13) Tunc respondentem dixerunt coram rege: „Daniel de filiis captivitatis Iudae non curavit de lege tua et de edicto, quod constituisti, sed tribus temporibus per diem orat obsecratione sua.“ – (14) Quod verbum cum audisset res satis contristatus est et pro Danihel posuit cor, ut liberaret eum et usque ad occasum solis laborabat, ut erueret illum. (15) Viri autem illi intelligentes regi dixerunt ei: „Scito, rex, quia lex Medorum est atque Persarum, ut omne decretum, quod constituit rex, non liceat inmutari.“ – (16) Tunc rex praecepit et adduxerunt Danihelem et miserunt eum in lacum leonum dixitque rex Daniheli: „Deus tuus, quem colis, semper ipse liberabit te“. (17) Adlatusque est lapis unus et positus est super os laci, quem obsignavit rex anulo suo et anulo optimatum suorum, ne quid fieret contra Danihel. (18) Et abiit rex in domum suam et dormivit incenatus cibique non sunt inlati coram eo. Insuper et somnus recessit ab eo. (19) Tunc rex primo diluculo consurgens festinus ad lacum leonum perrexit (20) adpropinquansque lacui Danihelem voce lacrimabili inclamavit et affatus est eum: „Danihel serve Dei viventis! Deus tuus,

cui tu servis, semper putasne valuit liberare te a leonibus?“ - (21) Et Danihel regi respondens ait: „Rex, in aeternum vive, (22) Deus meus misit angelum suum et conclusit ora leonum et non nocuerunt mihi, quia coram eo iustitia inventa est in me, sed et coram te, rex, delictum non feci.“ – (23) Tunc rex vehementer gavisus est super eo et Danihelem praecepit educi de lacu. Eductusque est Danihel de lacu et nulla laesio inventa est in eo quia credidit Deo suo. (24) Iubente autem rege adducti sunt viri illi, qui accusaverant Danihelem et in lacum leonum missi sunt ipsi et filii et uxores eorum et non pervenerunt usque ad pavimentum laci, donec arriperent eos leones et omnia ossa eorum comminuerunt. (25) Tunc Darius rex scripsit universis populis tribubus et linguis habitantibus in universa terra: „Pax vobis multiplicetur. (26) A me constitutum est decretum, ut in universo imperio et regno meo tremescant et paveant Deum Danihelis. Ipse est enim Deus vivens et aeternus in saecula et regnum eius non dissipabitur et potestas eius usque in aeternum. (27) Ipse liberator atque salvator faciens signa et mirabilia in caelo et in terra, qui liberavit Danihelem de manu leonum“. (28) Porro Danihel perseveravit usque ad regnum Darii regnumque Cyri Persae.

Goethe, Gespräche mit Eckermann:

Donnerstag, den 10. März 1831

Ich las heute mit dem Prinzen Goethes Novelle vom Tiger und Löwen, worüber der Prinz sehr glücklich war, indem er den Effekt einer großen Kunst empfand, und ich nicht weniger glücklich, indem ich in das geheime Gewebe einer vollendeten Komposition deutlich hineinsah. Ich empfand daran eine gewisse Allgegenwart des Gedankens, welches daher entstanden sein mag, daß der Dichter den Gegenstand so viele Jahre in seinem Innern hegte und dadurch so sehr Herr seines Stoffes ward, daß er das Ganze wie das Einzelne in höchster Klarheit zugleich übersehen und jede einzelne Partie geschickt dahin stellen konnte, wo sie für sich notwendig war und zugleich das Kommende vorbereitete und darauf hinwirkte. Nun bezieht sich alles vorwärts und rückwärts und ist zugleich an seiner Stelle recht, so daß man als Komposition sich nicht leicht etwas Vollkommeneres denken kann. Indem wir weiter lasen, empfand ich den lebhaften Wunsch, daß Goethe selbst dieses Juwel einer Novelle als ein fremdes Werk möchte betrachten können. Zugleich bedachte ich, daß der Umfang des Gegenstandes grade ein sehr günstiges Maß habe, sowohl für den Poeten, um alles klug durcheinander zu verarbeiten, als für den Leser, um dem Ganzen wie dem Einzelnen mit einiger Vernunft wieder beizukommen.

GOETHEANAM FABULAM NOVELLAM

TOGA ORNAVIT ET ADNOTATIUNCULIS INSTRUXIT

LEO LATINUS

ECHUS VOCES & EPISTULAE

GAIUS LICOPPE NESTOR ACADEMIAE LATINITATI FOVENDAE

d.25. m.Iul. a.2023 h.12:41

Nicolaus Leo Latinus Gaio suo optimo Nestori sal.pl.dic.

Ab Axelio Pulchrimontano, qui sodalis est Academiae Latinitati Fovendae, nuntium lugubrem accepi. Nicolaus Sallmann sodalis noster inde ex prioribus annis Societatis Latinae optime notus d.9 m.Iulii de vita decessit (v. nuntium Axelii infra scriptum).

Hoc nuntio accepto animus meus contristatur, quamquam per quindecim fere annos nullum iam commercium litterarum cum eodem habui. Nam libenter recordor illa tempora sereniora Saravipontana et Moguntiacensia, ubi Nicolaus multimodis meritis est de Latinitate viva deque acroasibus faciendis et conventibus dispensandis. Cum aliquid scribere velim ad piam memoriam sodalis nostri colendam, rogo te, care Gai, ut mihi scribas, num tu aliquid certius scias de cursu vitae, quam idem degit postquam rude donatus est.

Scripsitne adhuc symbolas Latinas, fecitne adhuc acroases, fuitne adhuc particeps conventuum et seminariorum et colloquiorum Latinorum? De his ut benigne me certiores facias te rogo, care Nestor et amice mei. Utinam quam optime valeas tu et valeant tui. Medullitus te salutat **Nicolaus Groß Leo Latinus.**

Gaius Nicolao optimo s.p.d.

Magna tristitia nuntium tuum legi. Nicolaus Sallmann erat vir maxime affabilis et eruditus; multae et iucundae nobis sunt recordationes Saravipontanae necnon Moguntiacenses.

Doleo autem quod te iuvare non possum. Nam postquam rude donatus est, palam nuntiavit se omnia simul deponere, neque umquam postea apparuit. Itaque nescio quid ultimis vitae annis egerit. Sit ei terra levis. **Cura ut valeas.**

ALEXIUS VESTIGIARIUS

d.20. m.Iul. a.2023, h.18.15

Nicolaus Alexio suo sal.pl.

Care Alexi, accepistine EL 280? Modo eam tibi misi. Medullitus Nicolaus.

d.20. m.Iul. a.2023, h.22.04

Alexius D.ri suo Nicolao Groß sal. quam pl.

Gratias tibi permultas ago atque habeo, humanissime vir! Perplacuerunt ista tua: «...tibi exopto ... ut maerorem dolorosum fortiter perferas...». Certe accepi novissimam Epistulam Leoninam. Iam paulatim redeo ad Latinam linguam, et trado promissos neque missos libros quos aut scripsi aut ex Theodisco verti. - Liber tegumento nigro ornatus tractat Latinitatem vivam, idemque ex dissertatione doctorali ortus. Colloquiis proh dolor variis locis haerent menda typographica, quae tamen per

se videntur non ita mala. Accedunt duae versiones Andreae Fritsch «Lateinsprechen im Unterricht...» et Michaelis von Albrecht «Vergil. Bucolica —Georgica —Aeneis...». - Quoad versiones, etiam tertia adest res reddita c.t. «Pfafferbloch 25487», auctore P.re Iohanne Bernard Luxemburgensi. Gratias tibi ago pro omnibus tuis, valeas quam optime! **Alexius**

Alexey Slednikov

К этому письму приложены ссылки на следующие файлы:

1. **Следников_Рецепция античного наследия. Движение живой латыни.pdf** (87.2 Мб)
2. **Alexii Slednikov colloquia Russico-Latina.pdf** (36.4 Мб)

Ссылка для скачивания файлов: <https://cloud.mail.ru/stock/giZQBcUrQFUcFwetPkZ4sp8s>

Файлы будут храниться до 16.01.2024

JOANNES CAROLUS ROSSI MEDIOLANENSIS

d.20. m.Iul. a.2023 h.17:15

Nicolaus Joanni Carolo suo s.

Accepistine EL 280?

d.20. m.Iul.a.2023 h.17:59

Joanni Carolo s.

Gratias pro nuntio prompto. Utinam bene valeas! Utinam placeat lectio Leonina! Basilice vale, **Leo Latinus**

d.20. m.Iul.a.2023 h.18.05

Joanni Carolo s.

Semper me iuvat tua legere, sive probo, sive minus. Tamen satis mirari non queo quod tam multa stans fere in uno pede scribere soles, quasi dies tuus nulla nocte dirimatur et vigiliae horis admisceantur... Unde enim tempus subsecivum ad edendum, bibendum, sermocinandum... taceo tempus ad requisita naturae explenda, quo interdum legere vel scribere licet. **Vale papaliter!**

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

d.20. m.Iul. a.2023

Urbano suo optimo sal.pl.

Accepistine EL 280? Quid agis, amice, ut vales? Sollicitor de te, quia iam diu nihil a te accepi. Vale semper, **Nicolaus Leo Latinus**

d.22. m.Iul. a.2023 h.21:19

Urbanus Leoni Latino salutem.

Bene valeo, amice. Epistula Leonina 280 iam pervenit ad me. Etiam pervenit narratiuncula, quam toga induisti, de qua tibi mox scribam quidquid sensero.

His diebus superioribus parentes comitabar per iter satis longum. Visitavimus enim oppida Bahiensia in hoc ordine: primum Portum Securum [1] et Cabraliam [1]; deinde Insulanos [2] et Itacaream [3]; tandem Spelæopolim [4]. Autocineto

peragravimus circiter quattuor chiliometrorum milia. Profecti sumus VIII Idus Iulias. Modo domi sum.

[1] Portus Sēcūrus et Cabrālia sunt oppida finitima in provincia Bahia, ad oceanus versa. Classis Lusitana, cum anno 1500 ad Brasiliam primum appulit, Portu Securo constitit. Cabraliæ autem celebrata est prima missa in Brasiliano territorio.

[2] Insulānī, vulgo Ilhéus, etiam sunt oppidum Bahiense ad Atlanticum versum. Ita nuncupatur, quia media pars oppidi, quæ inter mare et duo flumina invenitur, fit insula.

[3] Itacarēa, cuius nomen Lusitanum est Itacaré, si ad septentriones te converteris, fere 80 chiliometra distat ab Insulanis. Hoc oppidum etiam spectat ad oceanus.

[4] Spēlæopolis, cuius nomen a spelæo deducitur, est oppidum item in Bahia, ad ingentem rupem sita, intra quam rupem Pater Franciscus a Solitate, sacerdos catholicus, anno 1691 invenit cavernam, ubi construxit sacellum Bono Iesu dicatum. Lusitane dicitur Bom Jesus da Lapa.

His datis excusationibus hisque rebus explicatis, ignosce, quæso, mihi de tanta interiecta mora. Et tu, amice, constantem disciplinam, qua insigniris, serva semper. Bene vale. Urbanus

P.S.: Quandocumque tibi licebit, si tamen volueris, poteris mihi loqui aut ad me scribere per hunc numerum telephonicum ...

d.22. m.Iul. a.2023 h.18:21

Leo Urbano suo sal.pl.

Gratias ingentes! Nunc a sollicitudine me liberasti. Diligenter sane nomina geographica mihi indicas, quibus proxima Epistula Leonina exornabitur. Laeto animo accepi te iam narratiunculam legisse a me toga indutam, et sitienter exspecto recensionem tuam. Nomen Spelæopolis mihi plurimum placet. Tunc hoc confinxisti an iam est vetustius? Utinam felicissime valeas! **Haec raptim, mox certe plura. NIC.**

d.22. m.Iul. a.2023 h.23:48

Urbanus Nicolao s.

Nomen Spelæopolis confictum est a Sancta Sede. Postquam Pater Franciscus in spelunca sacellum construxit, mox tam frequentissimæ peregrinationes illuc fiebant, ut apud locum vicus institueretur; vicus autem in oppidum, deinde oppidum in sedem diœcesanam evectum est. Quam diœcesim Sancta Sedes appellat Spelæopolitanam a Bono Iesu. Scripsi Brasiliopoli, Saturni die, XI Calendas Sextiles, anno MMXXIII.

Urbanus

d.23. m.Iul. a.2023 h.01:31

Nicolaus Urbano suo s.

Optime, gratias tibi ago. Mox plura. Medullitus **Leo Latinus**

GUGLIELMUS MONETTI

d.25. m.Iul. a.2023 h.13:51

Nicolaus Leo Latinus Guglielmo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Valde miror, mi humanissime, quod iam diu nihil a te accipi. Quid agis? Accepistine Epistulas meas Leoninas (habesne iam EL 280)? Quid de versione tua Pliniana? Scribas, nisi vacas, quam brevissime, sed scribas, ut desinam sollicitari. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.25. m.Iul. a.2023 h.17:31

Gulielmus Nicolao suo s.p.d.

Desine sollicitari et gaude mecum, nam prodiit tandem liber meus Plinianus. Qui est foras datus die Veneris nuper praeterito, huius mensis 21°. Tandem aliquando! Nunc tamen urgent atque instant qui me de Plinio percontantur, quasi ego, qui postremus in hanc provinciam veni, omniscius essem. Sed unus est hoc anno meus liber editus, ergo est larvam induendam et personam Plinianam. Utinam illud possim de me iure dicere, quod Iacobus Facciolatus, deliciae meae, olim de se dixit, postquam iuvenulus ad orationem inter studiosam iuventutem habendam vocatus est: “Ceterum nostris imposuimus, et oratores visi sumus”.

Sed narro tibi. Colloquebar nuper cum puella ex Foederatis Civitatibus Americae Septemtrionalis oriunda, non inepta; quae dixit mihi se valde pudere, quod parentes ‘non credant in mutationem climaticam’ (*they don’t BELIEVE in climat change*). Cui ego respondi ‘mutationem climaticam non esse articulum fidei’. Accipe alteram fabellam, quam hisce meis auribus nuper audiavi. In quadam schola Italica adulescentula quattuordecim aut quindecim annorum, cui nomen sit Pudentilla, syndrome Aspergeriana laborans, vult haberi mas, appellarique Christophorus, parentibus ei obnixie morem gerentibus. Coguntur omnes ad unum magistri, scholae praeside imperante, ad hunc morem se accommodare. Percontatur unus e discipulis, ceteris curiosior, quid sit quod, cum ad palaestram discedit grex scholasticus, Christophorus ille non ad mares secedat, sed Pudentilla inter feminas deponat vestimenta. Irascitur magister, et his verbis Ulyssiacam curiositatem increpat: “Quomodo audes hoc interrogare? Tace, et noli quid in posterum percontari velle”.

Vivant novi mores!

AXELIUS PULCHRIMONTANUS

d.25. m.Iul. a.2023 h.00:07

Axelius Pulchrimontanus sodalibus Colloquiorum Latinorum Francofurtensium salutem plurimam dicit. SVBEV.

Professor Doctor Nicolaus Sallmann Moguntiacensis, sodalis noster et carus amicus, die 9 mensis Iulii anni hornotini de uita decessit. Per multos annos Latinitatem uiuam et in studiorum uniuersitate et foris coluit et propagauit. Sit ei terra levis!

Inuitationem proximi Colloquii Latini die 29 mensis Iulii instituendi hisce litteris electronicis subiungo. Curate, ut quam plurimum valeatis!

Axelius Pulchrimontanus. Datum Francofurti die 24 mensis Iulii anno Domini 2023

d.25. m.Iul. a.2023 h.12.31

Nicolaus Axelio optimo sal.pl.dic.

Gratias plurimas, care sodalis, tibi ago pro invitatione et nuntiis tuis.

Quod nuntias Nicolaum Sallmann obiisse, animus meus contristatur, quamquam per quindecim fere annos nullum iam commercium litterarum cum eodem habui. Nam libenter recordor illa tempora sereniora Saravipontana et Moguntiacensia, ubi Nicolaus multimodis meritis est de Latinitate viva deque acroasibus faciendis et conventibus dispensandis. Cum aliquid scribere velim ad piam memoriam sodalis nostri colendam, rogo te, ut mihi scribas, num tu aliquid certius scias de cursu vitae, quam idem degit postquam rude donatus est. Scripsitne adhuc symbolas Latinas, fecitne adhuc acroases, fuitne adhuc particeps conventuum aut colloquiorum Latinorum? - De his ut benigne me certiore facias te rogo, care Axeli. Utinam quam optime valeant tu tuique. Medullitus te salutatur **Nicolaus Groß Leo Latinus**.

MAXIMILIANUS PULCHER MYSTAGOGUS AUGUSTANUS

d.11. m.Iul. a.2023 h.08:32

Nicolaus Maximiliano Mystagogo Augustano sal.pl. s.v.b.e.e.v.

CARE MAXIMILIANE, rectene vales? Iam ex aeonibus ne litterulam quidem ex te accepi. Procul dubio Narratiunculae Ludovici Thomae tibi sunt notissimae.

In appendice invenies unam ex illustrissimis Ludovici Thomae narratiunculam toga indutam. Si vacas, perlegas, quaeso, et scribas mihi, num mihi sat bene contigerit, ut imitarer elocutionem Thomae, quae est puerilis et ironica et satirica et iocosa. Maxime mihi videtur valere facilitas verba intelligendi, ut versio Latina sat rapide legi et intellegi possit, ne vis comica perdat.

Quid tibi videtur de elocutione? Scilicet versio numquam potest aequare textum originalem, sed oportet interpretes studeat ad qualitatem originalem quam proxime approximare. Et quid de argumento? Nonne tibi persona nota est amitae isti Fridae haud absimilis??? Nonne omnis nostrum tales homines iam vidit et audivit? Mihi perplacent hae narratiunculae. Vale semper, medullitus salutatur te tuamque sororem **NICOLAUS LEO LATINUS**

d.11.07.2023 h.11:26

Maximilianus Nicolao suo salutem plurimam dicit.

Gaudeo, quod fabulam a te accepi. Me fabulas tuas valde amare scis. Certe fabulam legendo percurram et cuncta, quae me inspectante conspicua mihi erunt et in oculos se ingerent, tibi indicabo. Sed parumper exspecta, quaeso. Nam hoc tempore occupatus sum. Nam in maeniano matris meae vespae magnum nidum sibi construxerunt, qui amovendus erit. **Bene valeas et hac aestate vespis ne vexeris, quippe qui in habitatione tua vexatus undis iam sis.**

d.11.07.2023 h.16:04

Nicolaus Maximiliano suo s.

Gratias plurimas pro responso, care Maximiliane. Miror de vespis in maeniano matris tuae. Nam apud nos hoc anno vix ullam vespulam vidi, prioribus annis interdum molestae fuerunt. Haec raptim, mox certe plura. **NIC.**

d.18. m.Iul. a.2023 h.12:36

Maximilianus Nicolao amico salutem plurimam dicit.

Accepistine et vidistine ea, quae die solis ad te de "Friderica amita" fabula, quam optime in Latinum convertisti, dederam? Si non, iterum eadem ad te mittere debebo. Proximo die Saturni (22.07.) horam secundam postmeridanam (14 h) tibi serva liberam! Tum enim ambulatio Latina "Muri et aquae" per Augustam Vindelicum fiet. Ad Portam Rubram conveniemus et inde ad "Muros et Aquas" ibimus. Veniesne nobiscum? Nunc quidem non sum ignarus te hominem itinerarium non esse et cotidie ad mensam scriptoriam sedulo assidere malle et eo modo linguae nostrae vehementer prodesse. Tamen, si te, Nicolai, coram Augustae Vindelicum salutare possem, valde gauderem. **Vale multum!**

d.18. m.Iul. a.2023 h.12:51

Nicolaus Maximiliano sal.

Litteras tuas accepi et gratias ago plurimas! Haec raptim, mox plura. Vale semper,
Nicolaus

d.19. m.Iul. a.2023 h.22:52

NICOLAUS MAXIMILIANO SUO OPTIMO SAL.PL.

Quia *EL 280*, care amice, hac nocte – ut loquar more alchymistarum – *in statu nascendi est* – etiam hoc epistolium est brevius quam urbanus. Sed bene spero te veniam daturum esse breviloquentiae meae ipsum novae Leoninae legendae cupidum. - Gratias immortales (ut ait *Cicero*) et ingentes (ut ait *Pia Egeria*) pro lectione *Amitae Fridae* et commentatione subtilissimâ! Commendationes tuas maximam partem secutus sum, de paucis quae mihi minus arriserunt postea tibi scribam. Videbis nonnullas notulas in textu edito. - Quod attinet ad *Monstrationem tuam Augustanam*, Maximiliane Mystagoge, tibi optima quaeque exopto; doleo vehementer, sed etiam proximo die Saturni mihi nulla erit occasiuncula Augustam Vindelicum petendi. Habeas me iterum excusatum! Bene spero aliquando occasionem mihi fore... Haec raptim, mox plura. **Vale semper, Nicolaus**

d.24. m.Iul. a.2023 h.15:13

Nicolaus Maximiliano sal.pl.

Quid nunc? Potesne legere *EL 280*? An computatrum recusat accessum ad opusculum Leoninum? <https://ephemerisnuntii.eu/leonina.php> Iamne inspexisti hunc situm interretialem? Haec brevissime, mox certe plura. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.24. m.Iul. a.2023 h.20:43

Maximilianus Nicolao s.

Bombax! Nunc melius cerno quam umquam. Id quo numinis magici ministerio effecisti? :-) **Gratias tibi ago, Nicolae!**

d.24. m.Iul. a.2023 h.20:43

Nicolaus Maximiliano s.

En nunc habes omnes 280 Epistulae Leoninae, quae inde ex 20/05/2009 14h33 in lucem editae sunt! **NIC.**

CAROLUS LYVENS LITUANUS MAMUCIENSIS

d.25. m.Iul. a.2023 h. 13:59

Nicolaus Carolo Lyvens suo nimium taciturno sal.pl.dic.

s.v.b.e.e.v. SVEIKAS GYVAS.

Care Carole, valde vehementerque miror atque doleo, quod per aeones iam nihil mihi scripsisti, quamquam tibi misi interim iam innumeras fere Epistulas Leoninas. - Magni autem aestimo commercium litterarum tecum faciendum, quia iam pridem animadverti ingenium tuum fecundissimum feliciter inclinatum esse ad litteras neolatinas Latinitatemque vivam indagandas. Nuper Alexius Vestigiarius scripsit te historicum Neolatinitatis fructus investigationum tuarum describere lingua Latina. - Nunc autem nescio quomodo explicem silentium tuum perseverantissimum. Num interim miles factus es? Scribas mihi, Carole carissime, si non vacas, brevissime, sed scribas, ut desinam sollicitari. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

d.26. m.Iul. a.2023 h.12.24

Carolus Nicolao suo salutem plurimam

Gratias Tibi ago pro epistolā tuā, pro epistulis tuis Leoninis, pro curā tuā quā nunc de me sollicitaris! Spero Te valere. Equidem valeo, nunc totus sum in thesi scribendā. Non respondeo, quia omnino secundum mores nostrorum temporum, quibus animus tot rebus distenditur, iam amisi consuetudinem commerciorum epistulariorum colendorum et responsio mihi res nimiae operis videtur his quidem diebus occupatissimis – sunt nimis multa eaque cumulantur quae sunt dicenda in epistulis, in responsis puris atque germanis, tantam enim copiam rerum in scriptis tuis responso dignissima vidi. Laudo diligentiam tuam (etiamsi, ut bene nosti, quasdam opiniones tuas politicas, praecipue de bello a Moscis illato, plane reicio). Sed fortasse est negligentia, fortasse denique rescribendum. Nunc igitur brevisismus ero. Fructūs investigationum meorum describo Anglice, sed etiam Latino sermone magnam symbolam de commentariis periodicis Latinis quae viguerunt ineunte fereque mediante saeculo XX in Italiā exaravi, quae edetur in actis conventūs ALF anni MMXXII. Investigationes meae Neolatinae sunt variae, est campus, ut ita dicam, studiorum immensus: adhuc multa prorsus non examinata, plurimae etiam rationes investigandi remque intellegendi adhuc minime tentatae. His quidem septimanis perducere conor thesin meam ad gradum perfectionis quidem imperfectae, tamen iam

coram collegium doctorum defendendae. Postea requiescere et rei publicae litterariae aliis modis prodesse licebit. Sic ergo autumnno plura a me percipies, libentissime Tecum de rebus lexicographicis Tibi dilectissimis disseram. Fac optime valeas!

ANSGARIUS OSLOENSIS

d.20 m.Iul. a.2023 h.17:12

Nicolaus Ansgario s.

Accepistine EL 280?

d.20 m.Iul. a.2023 h.18.03

Ansgarius Nicolao s.

Certe! in animo habeo hanc epistulam perlegere finienti septimana. Iam salivam mihi movet, inter alia, symbola, vel anthologia ciconina. Nec me praeterit quam liberaliter lineas meas de triangulis in hac epistula urbi et orbi publicaveris! Cras Osloam reversurus sum, ut post peregrinationem ibericam aliquantulum conquiescam.



EPISTULA CHRISTIANI LAES: DE CERTAMINE QUIRINALI



PROF. DR. CHRISTIANUS LAES
ANTVERPIENSIS ET MAMUCIENSIS

Christianus Laes praeses omnibus sodalibus ALF salutem plurimam.

Conventiculo ALF feliciter peracto, licet mihi vobis annuntiare rem alicuius momenti, de qua inter consiliarios sumus collocuti.

Nemo enim nostrum ignorat certamina Latina, quae nunc exstant, ad carmina vel fabulas narrationesve fictas plerumque spectare eodemque tempore negligere symbolas et commentationes doctas, quas olim studiosi saepe Latino sermone pangebant. Omnibus patet quaquaversus quantopere homines docti ac praesertim philologi, exoleta consuetudine scribendi Latine, munere suo te se abdicarint.

Nobis est persuasum Latinam linguam commercia inter doctos, praecipue inter eos, qui disciplinis philologis, historicis archaeologicisve student, hodierno quoque tempore fovere posse. Commentarios academicos exarare sermone naturali et communi scrutatoribus rerum classicarum inceptum est laude dignum, cum nationibus cunctis ostendat pro imperio linguae Anglicae alterum sermonem ‘universalem’ substitui posse.

Qua de causa cogitavimus de certamine ab Academia instituendo, ut optima symbola Latine scripta et in commentariis periodicis divulgata praemio honestetur. Certaminis praeconium documento subiuncto inest. Propositum primum huius certaminis erit suadere studiosis, praesertim

iuvenibus, ut investigationes doctas Latine publici iuris faciant. Ne plura scribam: sint Maecenates, non deerunt Marones...

Praesertim sodali nostro Marco Cristino gratias ago, qui hoc propositum summo studio atque ardore excogitavit, propagavit, defendit.
Valeatis pancratice atque Latinitatem fovere pergatis

Prof. Dr. Christian Laes

Departement Geschiedenis/ Department of History
Universiteit Antwerpen/ University of Antwerp
Stadscampus·S.SJ.303·Sint-Jacobsmarkt 13·
B 2000 Antwerpen

CERTAMEN QUIRINALE

Academia Latinitati Fovendae ad primum Certamen Quirinale omnes antiquitatis litterarumque studiosos invitat, ut optima symbola inter a. 2018 et a. 2023 Latine publici iuris in commentariis periodicis facta praemio honestetur.

Ab universis scriptorum auctoribus rogatur, ut symbolam (iam typis traditam) non ex alio sermone versam nec quinque paginis brevioram iudicibus ante Kalendas Februarias a. 2024 mittant ad inscriptionem cursualem electronicam, quae est certamen.quirinale@gmail.com. Symbolae tantum accipientur, quae e plagula .pdf constant. Unam symbolam existimandam omnis candidatus tradat.

Collegium sodalium Academiae attente considerabit ac iudicabit commentationes doctas (e.g. philologas, litterarias, philosophicas, theologicas, archaeologicas, historicas, glottologicas vel musicologicas), aestimata et stili Latinitate et argumenti gravitate. Symbola enim enixe exquiritur non solum Latino sermone emendato scripta, sed etiam de rebus quae maioris sint momenti ad progressum disciplinae cuiusvis provehendum. Qua de causa scriptionibus tantum in commentariis periodicis editis in certamen venire licet et textus omnes reicientur sive qui his normis non responderint, sive qui ad argumenta privata vel pensa scholastica pertinere videbuntur sive qui ante Kalendas Ianuarias a. 2024 nondum publici iuris facti sint. Cum praemium proponatur curante et auspice Academia Latinitati Fovendae, cuius socii munere iudicis fungentur, nullus sodalis Academiae praemium accipere poterit.

Praemium victoris erunt Euronummi 500 una cum diplomate. Omnes candidati de exitu certaminis fient certiores mense Maio anni 2024 et victor in conventu ALF eiusdem anni praemio honestabitur.

Commentarii periodici, qui symbolas Latino sermone scriptas accipiunt, sunt e.g. Aevum, Arctos, Aristetas, Eos: commentarii Societatis Philologiae Polonorum, Epistula Leonina, Eranos, Exemplaria Classica, Giornale Italiano di Filologia, Gnomon, Hermes, Hyperboreus, Latinitas, Latomus, Melissa, Museum Helveticum, Peitho: examina antiqua, Philologia Classica, Renascens, Rheinisches Museum für Philologie, Rhetorica, Symbolae Philologorum Posnanensium, Tyche, Vox Latina.

ECCE MYSTAGOGUS PULCHER AUGUSTANUS




<https://maximilianus-schoen.jimdosite.com/>

Quomodo communicandum

**Communicemur per 0821 / 9069613
sive per maximilianus-schoen@t-online.de**

**Anfragen unter 0821 / 9069613
oder per Mail maximilianus-schoen@t-online.de**



Alexey Slednikov

К этому письму приложены ссылки на следующие файлы:

1. A. Slednikov de Latinitate viva.pdf (87.2 Мб)

Ссылка для скачивания файлов:

<https://cloud.mail.ru/stock/iSxU1M8WCzTk6fyKA38nvuPD>

Файлы будут храниться до 31.10.2023

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdê augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuê disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut offeram titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... 49,00 €
- 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... 42,00 €
- 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... 45,00 €
- 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... 25,00 €

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non êditur in domunculâ Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretialem (i.e. anglicê »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimê eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtuaalem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et carae. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; carae sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumeras, quibus operam dedit illis creandis.

*Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi
KTHMA EIS AEI.*

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. mandataelae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANSLATOR	ANNUS	FORMA	AMPLITUDO	PRETIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	0010 4A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA–Libri audibiles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304 A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE –Libri audibiles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	0040 4A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI – Libri audibiles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner- Eschen- bach	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD- ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeu s	-----	2004	CD- ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-	NUPTIAE ABDERITANAE	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD- ROM pdf	21 pp.	€ 22,00


		08-1							
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de Raelt	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	0050 5A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	0060 5A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	0070 5A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAE	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIUM	Karl Friedrich Kilmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	0030 6A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibiles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90

26	0040 6A	978-3- 938905- 25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibiles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90
27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibiles	L.A. Seneca	-----	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	-----	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob/Wil- helm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



**CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,
USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !**

**HANC EPISTULAM LEONINAM
DUCENTESIMAM OCTOGESIMAM PRIMAM**



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE

PERFECIT

Die Iovis, 27. m.Iul. a.MMXXIII



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**